

2004-05-28 – SS Ioannes Paulus II – Synodus ‘Eucharistia Fons Et Culmen’

SYNODUS EPISCOPORUM

XI CŒTUS GENERALIS ORDINARIUS

***EUCHARISTIA: FONDS ET CULMEN
VITÆ ET MISSIONIS ECCLESIAE***

LINEAMENTA

INDEX

Prooemium

Introductio: Synodus de Eucharistia cur fiat

Caput I

Sacramentum novi et aeterni Testamenti

Eucharistia in historia salutis
Sacrificium unum et sacerdotium Iesu Christi
Gratiarum actio et laus Patri persoluta
Mysterii paschalis memoriale
Praesentia Domini permanens

Caput II

Eucharistia: donum Ecclesiae datum, semper explorandum

Patres et doctores Ecclesiae
Sacramentum unitatis et sanctitatis Ecclesiae
De apostolicitate Eucharistiae
De catholicitate Eucharistiae

Caput III

Eucharistia: Mysterium fidei proclamatum

Magisterium Ecclesiae catholicae
Eucharistiae natura
Eucharistia et Incarnatio Verbi
Fulgida et fusca in comprehensione Doni
Eucharistia *signum unitatis*

Caput IV

Liturgia et Eucharistia

Liturgia in medio universo mundo
De valida Eucharistiae celebratione
Actus poenitentialis

Verbum Dei et symbolum fidei
 Praesentatio Donorum
 Eucharistica prex.
 Eucharistiae institutio
 Epiclesis super Donis consecratis
 Ecclesia sanctorum in Eucharistia
 Praeparatio ad communionem
 Sancta communio

Caput V

Mystagogia Eucharistica pro nova evangelizatione

Patres
 Mysterium nostra aetate negatum
 Mystagogia his temporibus
 De Eucharistiae praesidendo
 De decoro in Eucharistia celebranda
 De dignitate cantus et musicae sacrae
 De mysterio per artem conveniendo
 De in orando spectandi ordine
 De presbyterii sive sanctuarii area potissimum sacra
 Altare, mensa Domini
 Tabernaculum praesentiae

Caput VI

Eucharistia: Donum adorandum

Spiritus liturgiae adoratio est
 Communio et adoratio separari nequeunt
 Sensus mysterii et habitus, quibus exprimitur
 Eucharistia sacramentum pietatis

Caput VII

Eucharistia : Donum pro missione

Sanctificatio et *divinizatio* hominis
 Eucharistia vinculum caritatis
 Pharmacum corporis et spiritus
 Significatio *socialis* Eucharistiae

Conclusio

Quaestiones

PROOEMIUM

Patres in Decimo Coetu Generali Ordinario Synodi Episcoporum congregati, sub finem laborum, mense octobri 2001, rogati sunt de themate proximi coetus et, inter multa, quae sunt proposita, etiam rem eucharisticam ipsi subiecerunt. Consueta consultatio Conferentiarum Episcopaliū, Ecclesiarum Orientalium *sui iuris*, Dicasteriorum Curiae Romanae et Unionis Superiorum Generalium singulari quodam opinionum concursu, Eucharistiae thema locum obtinere principem vicissim indicavere. Membra quoque Consilii Ordinarii Secretariae Generalis idem se sentire patefecerunt.

Hoc ipsum thema S. Pater elegit ac disposuit offerendum esse pro collegiali meditatione Episcopis congregatis in Undecimo Coetu Generali Ordinario. Formula, quae et doctrinam et verba in mentem revocat Concilii Vaticani II, hac sententia est constituta : *Eucharistia fons et culmen vitae et missionis Ecclesiae*.

Dein Munus Consilio Secretariae Generali est commissum, ut huic titulo nonnullas sessiones reservaret laboris, unde, quibusdam peritis adiuvantibus, iter ad hoc documentum de Lineamentis pervenit.

Primus hic est gressus, ut nemo ignorare censetur, consultationis universalis, quae sinet, ut omnes Ecclesiae particulares in orbe dispersae processum ingrediantur synodalem, cogitatione adiutae, oratione firmatae, consiliis quam maxime opportunis comitatae, ut parari possit *Instrumentum laboris*, quod ordo diei erit pro adunatione synodali.

Consultatio ad futurum coetum synodalem rem novam conspiciet in historia Synodi Episcoporum, videlicet thema. Quod enim argumento respondet recens pettractato in Litteris Encyclicis, quas Pontifex de Eucharistia deque eius vitali cum Ecclesia relatione conscripsit quaeque *Ecclesia de Eucharistia* inscribuntur.

Nec mirum est, synodum esse invitata ad agendum de re in magisterio Pontificis ordinario inclusa. Proximitas potius chronologica et identitas promulgativa ad attentionem suscitant : nam idem Pontifex exiguo temporis intervallo et de Eucharistia conscripsit et Synodo idem commisit thema.

Ut patet, Litteris Encyclicis Pastor voluntatem patefacit Ecclesiam universalem, cui epistula data est, exciendi, ut se voveat, viribus spiritualibus et amore renovatis, eucharistico mysterio, quo ipsius Ecclesiae vita continetur. Ita, in hoc actu magisterii ordinarii exprimitur sollicitudo, sermone apto consuetudini nostrae aetatis, populo dominico veritatem iterandi perennem et necessariam, ut Ecclesia viva maneat in historia.

Coetus synodalis scopos consultivos habet; nunc vero episcopi non a Pontifice sunt congregati, ut aliquid suggererent ad interventum de doctrina apparandum. Plurimae tamen sunt causae, cur pastores sint congregandi, ut de re suprema in vita et missione Ecclesiae postulationes manifestent et implicationes **pastorales** Eucharistiae in celebratione, in cultu, in praedicatione, in caritate et omnino in operibus diversis.

Aliud vero gravissimum est caput. Si animum ad titulos convertimus, qui quidem sunt simillimi, fieri non potest, quin secum ipse quis quaerat, cur rem iam pertractatam Pontifex elegerit. At responsum in his angustiis dialecticis stat per Ecclesiae vitae considerationem nostrae aetati accommodatam. In Ecclesia nostrorum temporum, quod negare nequimus, quasi quaedam urgentia eucharistica” sunt, quae iam non a formulis pendent incertis, ut inter Vaticanum II factum est, sed a praxi eucharistica oriuntur, quae nova quadam animi voluntate, amoris plena, eget, gestibus fidei confecta erga Eum, qui Praesens adest pro iis, qui hodie eum quaerere non desinunt: “Rabbi, ubi habitas?”.

Vota facimus, ut *Lineamenta* ista Conferentias Episcoporum, Ecclesias Orientales *sui iuris*, Dicasteria Romanae Curiae et Unionem Superiorum Generalium excieant ad cogitationem et recognitionem pastoraalem atque omnes Ecclesiae partes invitent ad opus praestandum, ut responsa ad quaestiones *Lineamentorum* completa sint et **gravi significatione praedita** ita, ut labores synodales concedant fructuosos.

Ut apte processus synodalis decurrat, oportebit, ut responsa ad hanc Secretariam Generalem intra diem **31 decembris 2004** perveniant.

His responsis pergit in omnibus Ecclesiis particularibus iter illud Synodi, ubi Episcopi, quippe qui gregis Pastores sint, collegiali ratione inter se et cum Pontifice coniuncti, se praeparant, ut de magno hoc Sacramento, ex quo Ecclesia vivit, cogitent.

25 Februarii 2004

Jan P. Card. SCHOTTE, C.I.C.M.
Secretarius Generalis

INTRODUCTIO

Synodus de Eucharistia cur fiat

1. Invisibilis Deus se in Verbo incarnato, in Filio Iesu Christo, manifestavit ; post ascensionem “quod Redemptoris nostri conspicuum fuit, in sacramenta transivit”. Propterea “aliud in eo videtur et aliud intellegitur. Caro cernitur et Deus creditur”.

Ecclesia, sacramentum salutare Iesu Christi pro homine, ex cultu vivit qui fundamentum habet in Verbo incarnato, sacramento Patris; Canon Romanus et anaphora S. Ioannis Chrysostomi S. Missam ‘*oblationem rationabilem*’ et ‘*logikèn latreían*’ definiunt: Verbum Dei eventus fit, cuius et spiritus et ratio sunt participes. Ille qui est Verbum, se ad hominem convertit et responsum exspectat intelligibile, rationabile (*rationabile obsequium*). Ita verbum hominis fit adoratio, sacrificium, gratiarum actio (*eucharistia*). Quod “rationabile obsequium” (cf. *Rm* 12, 1) cor est ‘participationis’ populi Dei actuosae et consciae ad mysterium eucharisticum, quod in sancta communionem plenitudinem consequitur.

2. Concilium Oecumenicum Vaticanum II Eucharistico Mysterio caput III dicavit Constitutionis *De Sacra Liturgia*; at ea omnia, quae in hoc documento de liturgia, *culmine* et *fonte* actionis Ecclesiae sunt, maxime pertinent ad Eucharisticam celebrationem, ad ‘Divinam Liturgiam’, quam orientales libenter vocant. Thema proximae Synodi Eucharistia erit, cui populus Dei ex baptismo interest; ipsa enim ‘culmen’ est initiationis christianae, sed etiam apostolicae actionis, quia additionem praesumit ad Ecclesiae communionem ; eodem tempore ‘fons’ est, quia nutrimentum eius vitae et missionis est.

Ideo, ut Litterae Encyclicae Ioannis Pauli II *Ecclesia de Eucharistia*, quae inscribuntur, Epistolam apostolicam *Novo millennio ineunte* repetentes, qua ipse ad cognitionem, amorem, imitationem Christi hortatus erat, commentent, “renovati studii in vita christiana adimpletio per Eucharistiam transit”.

3. Coetus Generalis Ordinarius VI Synodi Episcoporum thema Reconciliationis pertractavit, et in eo ambitu, de Sacramento Poenitentiae egit, quod est medium ordinarium ad redeundum in communionem Christi et Ecclesiae, cuius culmen in Eucharistia situm est. Copiosa illa meditatio confluit in Exhortationem Apostolicam post-synodalem, quae *Reconciliatio et Poenitentia* inscribitur. Etiam Coetus Generalis Ordinarius V, dum de familia agebat, attentionem convertit in originariam illam sanguinis et spiritus communionem, quae fontem suae vitalitatis habet commodum in alio sacramento, in matrimonio, quod est mysterium magnum, signum unionis Christi et Ecclesiae (cf. *Eph.* 5, 32). Novissimae quattuor Synodi ordinariae de partibus fundamentum componentibus communionis ecclesialis cogitaverunt, quae sunt: laicatus, sacerdotium ministeriale, consecrati et episcopi, communio ecclesialis, quam Eucharistia praesupponit, ut eam ad perfectionem adducat. Intellegi possunt, ut apparet, causae coetus synodalis de Sacramento, quod indolem Ecclesiae apostolicam et catholicam manifestat eiusque unitatem sanctitatemque auget.

Qua re fiet, ut :

- a. Eucharistia principem locum in attentione Ecclesiae servet et particularis et universalis, praesertim in paroeciis et in communitatibus, per ipsum tempus, quo Synodus praeparabitur ;
- b. Ut fides in Eucharistiam, ut est necesse, altius colatur ;
- c. Ut coetus synodalis, cum hoc thema praecipuum ponat, peculiare habeat momentum tertio Christianitatis millennio incipiente, utque contribuat consilio vitam et missionem christianam hominum atque communitatum renovandi ;
- d. Ut attentio, quam, a temporibus apostolorum, usque ad Patres et ad sacros Mediae Aetatis scriptores ; a conciliis, praesertim Tridentino et Vaticano II, usque ad praecipua documenta interdicasterialia et Pontificum, quorum memoriam recens quoque Ioannes Paulus II in Litteris Encyclicis *Ecclesia de Eucharistia*, quae inscribuntur, renovavit, doctrina Ecclesiae semper S. Eucharistiae tribuit, denuo et altius recipiatur in integro.

4. Thema, quod Ioannes Paulus II elegit pro XI Coetu Generali Ordinario Synodi Episcoporum est : *Eucharistia fons et culmen vitae et missionis Ecclesiae*. In numero quaestionum, quae altius erunt inspiciendae, tres praesertim eminent :

- a. Filius Dei, Iesus Christus gestibus in ultima coena actis et praesertim verbis : ‘Hoc facite in meam commemorationem’, non meram coenam fraternam voluit, sed liturgiam intendit, vere cultum adorationis Patris ‘in spiritu et veritate’ (cf. *Io* 4, 24);
- b. Reformatio liturgiae non patrimonium destruit saeculare Ecclesiae catholicae, sed illud potius fuit propositum, ut, traditione catholica fideliter servata, renovatio promoveretur liturgiae ad favendum christianorum sanctificationi;
- c. Iesus ipse praesentiam Domini substantialem in SS. Sacramento voluit, ut Deus Emmanuel nunc et semper Deus esset apud hominem, eius Redemptor et Dominus.

5. Praeparatio XI Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum eiusdemque labores intus in universo magisterio sunt et in doctrina de Eucharistia, praesertim in doctrina Concilii Vaticani II, quae etiam plenior Ecclesiae conscientiam effecit eius, quod “Salvator noster, in Cena novissima, qua nocte tradebatur, Sacrificium Eucharisticum Corporis et Sanguinis Sui instituit, quo Sacrificium Crucis in saecula, donec veniret, perpetuaret”. Ut sponsa est dilecta, Ecclesia scit se celebrare debere “Memoriale...Mortis et Resurrectionis: sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis, convivium paschale, in quo Christus sumitur, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur”.

Doctrina eucharistica, quae Scripturis, Patribus, theologis fundatur et continetur, quae catechesin et mystagogiam concitat, omnia documenta permeat Concilii Vaticani II et magisterii post Concilium expleti et in mysterium Eucharistiae inducere vult atque ad hoc mysterium adorandum, quemadmodum traditionibus illustratur orientis et occidentis, praesentibus in Ecclesia una catholica. Inter documenta post concilium edita, quae Constitutionem de Sacra Liturgia adhibuerunt, loco fundamenti ad intellegendam et ad celebrandam Eucharistiam est epistula encyclica *Mysterium fidei* a Paulo VI data, a quo etiam *Instructio Generalis Missalis Romani*, anno 1970 publicata, anno 2000 recognita, promulgata est, quae normas continet in S. Missa ritus romani servandas. His in scriptis, necnon in Catechismo Ecclesiae Catholicae, in Codicibus Ecclesiae latinae et Ecclesiarum orientalium, in Instructione pro applicatione praescriptionum liturgicarum Codicis Canonum Ecclesiarum orientalium anno 1996 publici iuris facta, et pervestigations insunt doctrinae et monitiones pastorales, quas Iohannes Paulus II in *Ecclesia de Eucharistia* memoravit.

Caput I

Sacramentum novi et aeterni Testamenti

Eucharistia in historia salutis

6. Oblatio et sacrificium Deo litata gratiarum agendarum, petitionis, peccatorum reparationis causa, in Veteri Testamento remote contexunt et praeparant ultimam Iesu Christi cenam. Quam figura significat Servi Jhwh, qui se in sacrificium offert suumque fundit sanguinem pro Novo Testamento (cf. *Is* 42, 1-9; 49, 8), loco hominum ac pro ipsorum salute. Sacrae quoque Hebraeorum cenae, in quibus eminent *memoriale* illud Exodi et convivium sacrificale, et gratiis agendis pro beneficiis omnibus a Deo collatis deserviebant et ad communionem cum Eo, per hostias immolatas instituendam, pertinebant (cf. *I Cor* 10, 18-21). Eucharistia quoque communionem nos coniungit cum Iesu Christi sacrificio. Et hoc insuper, in traditione et cultu Hebraeorum, benedictio (*berakà*) cum vitae divinae homini communicatio erat, tum actio, qua homines, stupore et adoratione comprehensi, opus agnoscebant Dei. Quod ope sacrificii in templo oblato et coenae domi confectae contingebat (cf. *Gn* 1, 28; 9, 1; 12, 2-3; *Lc* 1, 69-79). Benedictio *euloghía* erat, sive laus Deo persoluta, ac perinde *eucharistia*, quod est gratiarum actio; qui quidem aspectus ultimus nomen dedit denique apud christianos *formae* et *contento* anaphorae sive precis eucharisticae. Cenam insuper sacram vel sacrificium conviviale (*todà*) Hebraei agnoverunt (cf. e.g. *Ps* 22; 51), temporibus Iesu usitatam, cuius nota praecipua gratiarum actio fuit perinde ac sacrificium incruentum panis et vini. Hinc intellegi potest alius ultimae Coenae aspectus; nam sacrificium conviviale fuit, ad gratias agendas actum. Ritus Veteris Testamenti sanguinem in sacrificium fundendi, quasi scaena est extrema in qua locus describitur *foederis*, quod Deus gratuito pangit cum populo suo (cf. *Gn* 24,1-11). Ritus iste, quem Prophetae sunt vaticinati (cf. *Is* 55,1-5; *Ier* 31,31-34; *Ez* 36,22-28), quique omnino est necessarius ad intellectionem ultimae Cenae et totius Christi revelationis, eodem nomine appellatus erat (hebraice *berít*, *diathéke* ut Graeci sunt interpretati), quo deinde corpus quoque Novi Testamenti nuncupatum est. Nam in ultima Cena Dominus foedus pepigit, testamentum suum cum discipulis et Ecclesia tota.

Prophetica signa et memoriale praeannuntiata in VT (cena in Aegypto, donum manna, Pascha quotannis celebratum) adimplentur in sacramentis vel mysteriis Ecclesiae. In his virtus divina mortis et resurrectionis Domini continetur, quae sanctificat, transformat, divinizat, quam quot dominicis, immo quotidie celebramus, in Paschate christiano. “Considera nunc - ut ait divus Ambrosius – utrum praestantior sit panis angelorum an Caro Christi, quae utique corpus est vitae...illud in umbra, hoc in veritate”.

Sacrificium unum et sacerdotium Iesu Christi

7. Ut res historica, ultima Cena narratur in Evangeliiis secundum S. Matthaeum (26,26-28), S. Marcum (14,22-23), S. Lucam (22,19-20) et a S. Paulo in prima epistula ad Corinthios (11. 23-25), qui, quis sensus sit facti, intelligere nos sinunt : Iesus Christus se donat (cf. *Io* 13,1) in escam homini, *suum corpus dat et sanguinem suum fundit pro nobis*. Hoc testamentum *novum* est, quia principium dat novae conditioni communionis hominis et Dei (cf. *Heb* 9,12) ; praeterea novum est et veteri melius quia Filius in cruce se ipsum donat et quotquot recipiunt eum, dat eis potestatem filios Patris fieri (cf. *Io* 1,12 ; *Gal* 3,26). Mandatum illud, *Hoc facite in meam commemorationem*, gestum significat fidelem et perpetuum, qui permanere debet donec Dominus veniat (cf. *I Cor* 11, 26).

Ecclesia, dum hunc gestum efficit, mundum commonet, esse amicitiam inter Deum et hominem, quae destrui nequit munere amoris Christi, qui sese obtulit et ita malum vicit. Ita Eucharistia vis est et locus unitatis humani generis. Sed novitas et significatio ultimae Cenae protinus et directe conexas sunt cum actu redemptionis in cruce et resurrectionis Domini, ‘verbi definitivi’ Dei homini et mundo prolati. Hoc modo, Christus, desiderio desiderans pascha manducare, se ipsum offerre (cf. *Lc* 22,14-16), nostrum fit Pascha (cf. *I Cor* 5,7): *crux in Coena initium habet* (cf. *I Cor* 11,26). Idem est Iesus Christus, qui et in Cena incruenta ratione et in cruce suo proprio sanguine sacerdos est et hostia se Patri offerens : “quod quidem sacrificium Pater suscepit ac vicissim pro eadem plena donatione Filii sui, qui erat ‘factus oboediens usque ad mortem’ (*Phil* 2,8), donationem suam paternam reddidit, nempe donum novae vitae immortalis in ipsa Resurrectione, quandoquidem primus fons Pater est et dator vitae iam inde a principio”. Propterea mors Christi ab eius resurrectione disiungi non potest (cf. *Rm* 4,24-25), una cum vita nova, quae inde scaturit et in quam per baptismum immergimur (cf. *Rm* 6,4).

8. Evangelium secundum Ioannem agit de eucharistico mysterio in capite sexto. Instar ultimae Cenae describitur miraculum, quo pauci panes multitudini distributi sunt atque perinde Iesus sermonem instituit de pane qui vivificat, nempe de carne sua deque suo sanguine, qui vere sunt cibus et vere sunt potus; quisquis fidem in Iesum Christum habet eius carnem manducat et consequitur vitam aeternam. Difficilis est captu sermo de Eucharistia: qui Iesum, non se ipsum quaerit, is unus accedere in eum potest (cf. *Io* 6,14s. 26). Quae conscientia se expressit, post Pentecosten, in perseverantia, qua baptizati, doctrina apostolorum, communione fraterna, *fractione panis* (cf. *Act* 2,42.46; 20,7-11) fideliter servatis, in “Cena Domini” (cf. *I Cor* 11,20) congregari solebant. Hac re fundamentum continetur *dimensionis apostolicae* Eucharistiae. Quae in Novo Testamento narrantur de Eucharistia, quam ut gratiarum actionem et memoriam sacramentalem christiani vivebant, illud maxime urgent, quod, dum agnoscimus corpus et sanguinem Domini in communione panis et vini consecratorum, eius praesentiam agnoscimus. Eodem tempore grave ducitur esse, iudicium et damnatio, si quis ‘Cenam Domini’ cum quavis mensa confundat (cf. *I Cor* 11,29). Praeterea Apostolus plane constare putat, quod praesentia Domini in corpore et sanguine propriis non pendet a statu sumentis et eorum communio omnes corpus unum efficit, quia ab iis vita Christi fluit ; omnium cor erat unum et anima una (cf. *Act* 2,46 ; 4,32-33) ita, ut illis omnia communia esse possent; haec nota fuit peculiaris Ecclesiae apostolicae, quae congaudebat et compatiebatur membris suis, caritatem scilicet vivebat (cf. *I Cor* 12,26-27).

Hae sunt capita veritatis de Eucharistia in Scripturis, quibus *sacramentum altaris* una eademque res fit sacrificialis et sacerdotalis: actio gratiarum et laudis Patri, memoriale Mysterii paschalis, praesentia Domini permanens.

Gratiarum actio et laus Patri persoluta

9. In memoria Ecclesiae, medium eucharisticae celebrationis locum verba obtinent Iesu in nobis praesentis. “Hoc est corpus meum, ... hic calix sanguinis mei”. Iesus se ipsum offert, verum et definitivum sacrificium, in quo figurae omnes Veteris Testamenti adimplentur. In eo accipimus quod semper desideraverant homines, numquam erant consecuti.

At Iesus, ut prophetia illustrat (cf. *Is* 53,11s.), pro multis patitur et demonstrat in se exspectationem veri sacrificii et veri cultus adimpleri. Ipse ille est, qui *stat coram* Deo, *intercedit* nec pro se, sed pro omnibus. Quae intercessio verum est sacrificium, *oratio*, celebratio Deo gratans, in qua nosmet et mundum reddimus. Eucharistia igitur *sacrificium* est Deo oblatum in Iesu Christo, ut amore eius donemur.

10. Iesus Christus Vivens est et sedet in gloria, in Sanctuario caelesti, in quod per proprium sanguinem introivit (cf. *Heb* 9,12); Pontificis locum, immutabilem et aeternum, obtinet (cf. *Heb* 8,1-2), “sempiternum habet sacerdotium quod manet in aeternum” (*Heb* 7,24s), se *Patri* offert et propter infinita merita conversationis suae in terris non desinit redemptione hominis et mundi irradiare, qui in eo transformatur et instauratur (cf. *Eph* 1,10). Quae omnia illud significant, esse *Filium Iesum Christum* mediatorem Novi Testamenti pro iis, qui ad hereditatem aeternam vocati sunt (cf. *Heb* 9,15). Sacrificium eius permanet in aeternum *in Spiritu Sancto*, qui suggerit Ecclesiae omnia, quaecumque Dominus, ut summus et aeternus Pontifex, fecit (cf. *Io* 14,26; 16,12-15). Ut S. Ioannes Chrysostomus animadvertit, qui vere in Divina Liturgia celebrat, Christus est, qui Eucharistiam “tunc in illa cena confecit, et nunc etiam operatur. Nos ministrorum habemus ordinem: qui vero illa sanctificat et transmutat, ipse est”. Ideo “non est imago aut typus sacrificii, sed sacrificium verum”.

Deus dignatus est suscipere Filium immolatum victimam pro peccato et Ecclesia orat, ut sacrificium prosit mundi saluti. Identitas est plena sacrificii et renovationis sacramentalis in Cena institutae, quam Christus mandatum dedit celebrandi in suam commemorationem, pro sacrificio laudis, gratiarum actione, propitiationis sacrificio et expiationis. Proinde, ob amorem Domini sacrificalem, “sacrificium Crucis praesens efficit Missa, non illi adiungitur neque id multiplicat”. Sacrificium igitur actus est princeps. Quem actum convivium sequitur, in quo in escam sumimus Agnum in cruce immolatum.

Mysterii paschalis memoriale

11. Christum commemorare, eius integram vitam in memoriam vocare est, quia in Missa pro modulo suo praesentia adsunt per annum mysteria redemptionis, praesertim tamen, iuxta S. Paulum, humiliatio (cf. *Phil* 2), amor summus, qui eum oboedientem fecit usque ad crucem. Quotiescumque corpus eius manducamus et sanguinem eius bibimus, mortem eius annuntiamus donec veniat (cf. *I Cor* 11,26), perinde atque resurrectionem eius (cf. *Act* 2, 32-36 ; *Rm* 10,9 ; *I Cor* 12,3 ; *Phil* 2,9-11). Propterea ipse Pascha nostrum est immolatum (cf. *I Cor* 5,7-8), stans quoniam resurrexit (cf. *Ap* 5,6).

Institutio Eucharistiae principium habuit in novissima Cena : verba a Iesu dicta mortem eius anticipant ; quae tamen inanis maneret, nisi amor eius morte fortior esset, ut perveniret ad resurrectionem. Quae est causa, cur traditio christiana mortem et resurrectionem *mysterium paschale* vocet. Eucharistia scilicet multo plus est, quam mera cena ; eius *pretium* mors fuit quae resurrectione victa est. Proinde latus Christi apertum locus est et origo unde Ecclesia oritur atque sacramenta proveniunt, quibus aedificatur, baptismum et Eucharistia, donum et vinculum charitatis (cf. *Io* 19,34). Ita in Eucharistia eum adoramus, “qui fuit mortuus et ecce est vivens in saecula saeculorum” (*Ap* 1,18). Quae omnia statim post consecrationem Canon Romanus exprimit : “Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiusdem Christi, Filii tui, Domini nostri, tam beatae passionis, necnon et ab inferis resurrectionis sed et in caelos gloriosae ascensionis : offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, Panem sanctum vitae aeternae et Calicem salutis perpetuae”. Inter ‘mysticam cenam’, in persona Iesu Christi simul adsunt pro praeterito Vetus Testamentum, pro praesenti Testamentum Novum, pro futuro imminens immolatio. Ope Eucharistiae aliud ingredimur tempus, quod iam non subicitur computationi nostrae, sed in eo futura, dum praeterita collustrant, nobis pro stabili praesentia offeruntur; proinde Christi mysterium, alpha et omega, cuiusvis homini, quovis tempore, contemporaneum fit. Tempus breve est (cf. *I Cor* 7,29), resurrectionem exspectamus mortuorum et iam in caelo vivimus. “Terram in caelum mutat hoc mysterium”.

Praesentia Domini permanens

12. In omnibus sacramentis Christus operatur per signa visibilia, quae, nulla naturae mutatione, virtutem assumunt sanctificandi transitoriam. In Eucharistia, ipse adest praesens in corpore et sanguine suis, in anima et divinitate, et homini suam donat integram personam et vitam. In Veteri Testamento Deus, per nuntios suos, in nube (*shekinà*) praesentiam commonstrabat suam, in tabernaculo, in templo; in Novo Testamento, in plenitudine temporis, ipse venit et in hominibus habitat, in Verbo incarnato (cf. *Io* 1,14) atque vere Emmanuel fit (cf. *Mt* 1,23), et nobis loquitur in Filio, quem constituit heredem suum (cf. *Heb* 1,1-2).

S. Paulus, ut explanet id, quod in communione Eucharistiae fit, asserit: “Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est” (*I Cor* 6,17), in vita quadam nova, quae a Spiritu Sancto provenit. S. Augustinus penitus haec intellexit, sed ante eum intellexerat S. Ignatius Antiochenus, postea vero monachi et permulti mystici et theologi. Divina Liturgia praesentia ista est Christi, “quae omnem congregat (*ekklesiázon*) creaturam”, eamque convocat circa sanctum altare et “providentiae rationibus astringit ac nectit tum ipse sibi tum invicem”. S. Ioannes Chrysostomus scripsit: “quando igitur ad sacram mensam es accessurus, illic adesse Dominum omnium arbitrare”. Propterea adoratio a communione scindi nequit.

Sacramentum hoc magnum est: substantialiter Iesum Christum adesse! Quod in Vaticano II idem significat quod definitio tridentina sonat: per *transubstantiationem* Dominus praesens fit in corpore et sanguine. Patres orientales nomine utuntur *metabolismi* panis et vini in corpus et sanguinem. Duo modi sunt insignes rationem cum mysterio coniugandi, quia, ut Paulus VI adfirmavit, praesentia eucharistica “miraculum omnium in suo genere maximum efficit”.

Caput II

Eucharistia: donum Ecclesiae datum, semper explorandum

Patres et doctores Ecclesiae

13. Ecclesia, ut eam indicaret *actionem gratiarum* (graece *eucharisteîn*) potissimum esse, ab Ultimaе Cenae transiit in *Eucharistiam*, quod nomen ceteris, ut sunt Coena dominica, Fractio panis, Sanctum Sacrificium, Adunatio eucharistica, Sancta Missa, Cena Mystica, Sancta et Divina Liturgia, antepositum est. Qua re intellegimus celebrationem Eucharistiae a baptizatis die Dominica, horis matutinis, inchoatam, exclusis tamen catechumenis et paenitentibus. Ordo celebrationis iam in Evangelio secundum S. Lucam (cf. 24,25-31) delineatum esse videtur: in Emmaus, cum sero esset die illo Paschatis, apparuit Dominus redivivus discipulis suis, qui quidem eum audierunt mente magis magisque condita, donec ipse se agnosci sivit in actione gratiarum et in fractione panis. Ut *Traditio Catholica* docet, Eucharistia cum revelatio Patris est in mysterio Filii, qui hominem redimit, tum perinde actio gratiarum Ecclesiae pro hac salvifica redemptione. Hoc in textu, qui in antiquissimis post Apostolorum aetatem adnumeratur testimoniis, saepe mentio Ecclesiae fit, ad urgendum nexum indissolubilem cum Eucharistia ; post autem consecrationem invocatur praesentia Spiritus Sancti, ut Ecclesiam dignam efficiat, quae oblationem offerat.

S. Ignatius Antiochenus testimonium praebet de studio Eucharistiam frequentandi ad confirmandam concordiam in fide, ut divisiones a Satana concitatae vincantur ; ad eam in unitate vivendam, quia una est caro, unus sanguis Domini, unum altare, unus Episcopus; ad agnoscendam in ea carnem Iesu Christi, qui pro peccatis passus est et resurrexit. Eucharistia esca est spiritualis ad vitam aeternam, sacrificium universale, quod propheta Malachias vaticinatus est, fons est verae pacis. Notissima est apud S. Iustinum descriptio Eucharistiae dominicalis, qua die mundus creatus est et Iesus Christus resurrexit. S. Irenaeus Eucharistiam adhibet, ut adfirmet veritatem incarnationis, contra gnosticos ; saepius urget praesentiam Christi veram in corpore et sanguine, quibus oportet alimur ut corpus nostrum resurgat. S. Cyprianus quoque instat de identitate panis et vini cum corpore et sanguine Christi deque duobus communionis effectibus, qui sunt : virtus martyrum et unitas christianorum.

14. Postquam Ecclesia publica auctoritate probata est, meditatio theologica primum incepta est, quae postea definiit eam, quae futura erat doctrina eucharistica de praesentia Christi, de modo quo perficitur, de dimensione sacrificali, ut Patres testantur in Catechesibus, quae precedebant, comitabantur, sequebantur initiationem christianam. S. Gregorius Nyssenus, exempli gratia, adfirmat, per communionem eucharisticam adhaesionem fieri Corpori Christi, animae vero eius per fidem, accipi demum immortalitatem. S. Cyrillus quoque episcopus Ierosolimitanus, S. Petro nixus, monet nos per Eucharistiam participes fieri naturae divinae. S. Ioannes Chrysostomus autem Eucharistiam videt, in contextu initiationis baptismalis, pro alimento acceptae vitae eiusdemque munimento in pugna adversus Satanam. Interpretatio ista magnum habet pondus, quippe quae ad novissima recto studio contendat : “Cum enim vides Dominum immolatum et iacentem, et sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse ? Annon potius in caelos translatus, omnique carnali cogitatione eliminata, nudo animo menteque pura quae in caelis sunt circumspicis ?”.

Meditatio doctrinalis et ritualis Theodori Mopsuesteni cum realismo, ut ita dicamus, Eucharistico distinguitur, tum virtute sanctitatem efficiendi in Passione Iesu Christi et in resurrectione insita illustratur, tum demum epiclesi insignitur, qua omnes, qui communicant eucharistice ad unitatem adducuntur; ut Theodorus quoque sentit, baptismi vita Eucharistia alitur. Divus Ambrosius vero Eucharistiam inter Veteris Testamenti dispensationem et res novissimas collocat. Verbis autem Iesu, quae sacerdos profert quibusque Iesus Ipse se in oblationem dat daturque Patri, ipsius praesentia substantialis comprobatur. Nonnulli Patres principium commonstrant meditationis de transubstantiatione panis et vini. Apud Divum Augustinum in meditatione de Eucharistia cum cogitatio praevallet veritatis eius eiusdemque symbolorum, tum consideratio nexus cum Ecclesia Christi corpore (qui *Christus Totus* vocatur) et meditatio de Sacramento quippe sacrificio eminent.

15. Eucharistiae sacramentum est praesentiae Christi. Qua re, ut S. Thomas Aquinas docet, a ceteris sacramentis differt. *Repraesentare* cum dicat, illud ostendit, non esse Eucharistiam devotam quandam recordationem, sed praesentiam existere effectivam et efficacem Domini mortui et redivivi, qui omnem hominem pertingere vult. Triplicem autem sacramentum significationem habet : “unam quidem respectu praeteriti in quantum scilicet est commemorativum Dominicae passionis, quae fuit verum sacrificium...Et secundum hoc nominatur *sacrificium*. Aliam...respectu rei praesentis, scilicet ecclesiasticae unitatis, cui homines congregantur per hoc Sacramentum...Tertiam significationem habet respectu futuri : in quantum scilicet hoc sacramentum est praefigurativum fruitionis Dei, quae erit in patria”. In officio *Sanctissimi Corporis Domini* nobis antiphonam celebrem reliquit, in qua significationem illam spiritu lyrico rursus proponit: “*O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur*”.

Etiam S. Bonaventura profuit ad theologiam eucharisticam, spiritum pietatis urgens, quem necessario habere debemus, ut ad Christum communicemus. Ut ipse admonet, in Eucharistia praeter verba ultimae Cenaе, promissio dominica perficitur: “Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi” (*Mt 28,20*). In Sacramento cum sit, Ipse substantialiter ac vere praesens in Ecclesia adest .

Sacramentum unitatis et sanctitatis Ecclesiae

16. Eucharistia naturam quoque Ecclesiae revelat, quae una est, sancta, catholica, apostolica tam in ambitu locali quam universali. Recentes Litterae Encyclicae Iohannis Pauli II, *Ecclesia de Eucharistia*, actum magisterii praeclarum ad relationem Eucharistiae et Ecclesiae intellegendam. Magnificentia et pulchritudo Ecclesiae non consistunt tantum in aliquo tempore neque in certo quodam millennio, sed ipsa potius augetur, maturescit, altius in mysterium penetrat, quod proponit in veritatibus, quibus est credendum, et in liturgiis, quae sunt celebrandae. Etiam hoc demonstrat in ipsa unam Ecclesiam Christi per tempora pergere. S. Augustinus neophytis nocte paschali ita explanabat Eucharistiam: “Opus est vobis commendare et insinuare quid sit quod accepistis vel accepturi estis. Ecce breviter audite Apostolum, immo Christum per Apostolum, de sacramento mensae dominicae quod ait : ‘Unus panis, unum corpus multi sumus’. Ecce totum est ; cito dixi ; sed appendite verba, nolite numerare”. His Apostoli verbis putat sanctus Episcopus Hipponensis mysterium contrahi, quod ipsi sumunt.

Ab origine tamen Ecclesiae eos deprehendimus adversus hanc rem restitisse, qui satius ducebant, se suis circulis contineri (cf. *1 Cor 11,17-22*) ; at Eucharistia, ut est efficax in unificando, sensum habebat permanentem congregandi, quodvis saeptum transgrediendi, homines ducendi in novam in Christo *unitatem*. Eucharistia est sacramentum quo Christus nos sibi coniungit in corpus unum atque *sanctam* efficit Ecclesiam.

De apostolice Eucharistiae

17. Sacramenta Dominus Apostolis reliquit, quae Ecclesia recepit quaeque duo iam millennia eadem Apostolorum fide tradenda procurat. A die Ascensionis defixis oculis Ecclesia Dominum contemplatur, qui ita locutus est : “Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis” (*Io 3,13*). Christus resurrexit et ascendit in caelum cum corpore carnali et glorioso, sed in terris manet in Corpore Suo Mystico quod est Ecclesia, in membris (cf. *1 Cor 12,5*), in sacramentis, praesertim in Eucharistia. Ut Ipse praedixerat: “Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos” (*Io 16,7*), qui in Incarnatione effici sivit *Corpus Verum* idemque vivificat *Corpus Mysticum* Ecclesiae.

Apostolicitas Eucharistiae et Ecclesiae nulla est mentio mere historica, manifestatio vere est permanens eius, quod Christus cuivi homini omni tempore contemporaneus est; ad nostrum pertinet mysterium communionis ecclesialis. Encyclica cuius titulus *Ecclesia de Eucharistia* potentem illam Augustini sententiam affert : “Mysterium vestrum accipitis”. Quae igitur praesentia ab Incarnatione procedens, mysterium fidei est, in quo Ecclesiae quoque mysterium revelatur, quae in celebranda Eucharistia, stupore comprehensa, contemplatur : *Ave, verum Corpus natum de Maria Virgine*.

18. Ut Concilium Vaticanum II edixit, per opus redemptionis in Sacramento altaris praesens, Ecclesia augetur. Paulus VI monet in Missali Romano argumentum contineri traditionis constantis ab Ecclesia Romana proditae atque “theologiam mysterii Eucharistici”. Ioannes Paulus II cum in memoriam revocaverit eiusmodi nexum esse inter Eucharistiam et Ecclesiam, ut rescindi nequeat, per illud ‘Eucharistia Ecclesiam aedificat, Ecclesia Eucharistiam conficit’, affirmat ea, quae in symbolo nicaeno-constantinopolitano de Ecclesia una, sancta, catholica, apostolica profitemur, Eucharistiae applicanda esse et praesertim apostolicitatem, “non quod ad Christum ipsum non reducat...” sed quod “ad Apostolorum fidem celebratur”. Praeterea, “Apostolorum successio pastoralis in missione necessario sacramentum Ordinis secum fert”. Si ita indolem apostolicam Ecclesiae vivimus, eadem intrinsecus inhaeret communioni mystici corporis profundae et causa est interioris transformationis. Unde illud altius intellegere possumus, esse Eucharistiam ‘donum et mysterium’, “quod auctoritatem communitatis funditus excedat”. Non communitas sibi

ipsa id donat ab interiore sui extractum, sed communitati ab alto provenit. Quod opportune illustratur ministri ordinatione, quem Ecclesia communitati locali dat, ut ipse celebrare possit. Ergo “neque illud oblivisci debemus, quod, si Ecclesia Eucharistiam efficit, Ecclesiam efficit Eucharistia ita, ut criterium fiat, quo ipsa recta doctrina confirmetur”. Etiam propterea Eucharistia est donum personaliter explorandum ut communio cum Christo, mysterii altitudo, veritas existentialis.

De catholicitate Eucharistiae

19. Neque minoris momenti *catholicitas* Eucharistiae est, sive eius cum Ecclesia tum universali tum locali relatio. “Haud casu et fortuito *communio* vocabulum praecipuum in quoddam nomen excelsi huius versum est Sacramenti”; *communio* enim Ecclesiae quoque naturam ostendit. Siquidem Ecclesia “continuo vivit et crescit” Eucharistia et in eadem se exprimit, tamen eius celebratio “non potest esse principium *communio*nis, quandoquidem illam iam veluti existentem praeponeat, ut eam confirmet et ad perfectionem perducatur”. Ut Concilium Vaticanum II commemorat, *communio* catholica se exprimit in ‘vinculis’ professionis fidei, doctrinae Apostolorum, sacramentorum et ordinis hierarchici. Ipsa igitur eget “adiunctis integritatis in vinculis quoque exterioribus *communio*nis”, potissimum in baptismo et ordine. Eucharistia prout sacramentum in his vinculis necessariis est, tamen ut visibiliter *catholica* sit, celebrari debet *una cum Papa et Episcopo*, quae principia sunt unitatis visibilis tum universalis tum particularis. Est “intrinsicam celebrationis Sacrificii eucharistici necessitas”, quae “propter ipsam naturam ecclesialis *communio*nis ...quamvis celebretur semper in communitate particulari, numquam tamen est celebratio a sola istiusmodi communitate peracta... (sed) imago veraque praesentia Ecclesiae, quae est una, sancta, catholica et apostolica”.

20. Primis saeculis, quibus christianismus diffusus est, maximi momenti erat, unum in omni civitate esse episcopum, unum altare, quibus unitas Domini unius exprimebatur. Ipse se in Eucharistia totum integrumque dat ubique et ideo, ubicumque Eucharistia celebratur, ipsa Christi et Ecclesiae mysterium plene praesens efficit. Nam Christus qui in omni loco unum est corpus cum Ecclesia, in dissensione sumi potest. Cum Christus inseparatus et inseparabilis a membris suis sit, propter hoc ipsum Eucharistia rationem habet tantum si eam cum Ecclesia tota celebramus.

Paulus VI, in Constitutione apostolica *Missale Romanum* anni 1969, iussus optavit, ut missale, renovatum ex norma Vaticani II, accipi posset pro subsidio ad testimonium praestandum de unitate omnium eamque ad affirmandam, ad exprimendam, sermonum varietate, ‘unam eandemque orationem’. Hinc intellegimus, cur normae liturgicae et canonicae de Eucharistia servandae sint. Ecclesia, cum normas statuit ad Eucharistiam celebrandam, sibi missum putat mandatum, quod Iesus Apostolis dedit, ut Pascha pararent (cf. *Lc* 22,12).

Ergo: “Necessitudo intima inter invisibilia atque visibilia *communio*nis ecclesialis elementa Ecclesiam veluti salutis sacramentum constituit. Tantummodo his in rerum adiunctis accedit legitima Eucharistiae celebratio veraque eius participatio. Quapropter intrinsicam emergit necessitas ut in *communio*ne Eucharistia celebretur in solida vinculorum suorum integritate”.

Caput III

Eucharistia: Mysterium fidei proclamatum

Magisterium Ecclesiae catholicae

21. Traditio Apostolorum et Patrum orientalium et occidentalium, fons est princeps, ex quo magisterium hausit Conciliorum et Pontificum Ecclesiae catholicae, ut distinctius definiret fidem in Eucharistiam utque responderet erroribus doctrinae et rei pastoralis, quae subinde exstiterunt.

Concilium Tridentinum praesertim tribus in decretis definiit doctrinam eucharisticam post Reformationem protestantismi, eique fuit curae imprimis praesentia vera, realis et substantialis Domini Iesu, perfecti Dei, perfecti Hominis, sub speciebus panis et vini. Illud quoque affirmavit, *corpus* dominicum non solo in pane sed etiam in vino praesens adesse, *sanguinem* vero dominicum non solo in vino sed etiam in pane esse praesentem. Praeterea in utraque specie Dominus Iesus Christus praesens adest etiam cum sua *anima* et *divinitate*. Ergo Christus, Verbum Patris, verus Deus et verus homo, totus et integer praesens est sub utraque specie et in quavis speciei particula. Idemque Concilium

transubstantiationem quoque definit, perinde ac modum communionem sumendi et relationem sacrificii Missae incruenti ad sacrificium crucis cruentum. Porro illud quoque affirmavit, scelestum esse et indignum, si quis figurate, *typologice* et metaphorice verba institutionis et mandatum eius commemorationem faciendi intellegat. Deinde sacrificii eucharistici institutio praesens reddit sacerdotium Christi, dum virtus quae redemit crucis impetrat hominibus remissionem peccatorum pro vivis et defunctis.

Natura sacrificialis Missae, quam in Encyclica cuius titulus *Mediator Dei* Pius XII pertractavit, confirmatur a Vaticano II: Christus unus est sacerdos, ministri Eius nomine agunt, *repraesentant*, donec veniat, sacrificium unicum Novi Testamenti, quod Ecclesiam iugiter *regenerat* ; qui valide sunt ordinati, agunt *in persona Christi*.

Eucharistiae natura

22. Concilium Vaticanum II, principium ducens a doctrina tridentina de Eucharistia, collustrat varios Christi praesentiae modos, dum in specie illustrat differentes characteres eucharisticae praesentiae. Ita opus redemptionis semel et in perpetuum a Iesu Christo effectum, non desinit effectus extendere suos quoties in altari commemoratio fit sacrificii in cruce, in quo Christus, Pascha nostrum, immolatus est. Quod autem ad effectus sacramentales attinet, Eucharistia *perficit* Ecclesiae aedificationem, corporis Christi, utque eadem *crescat*, efficit ; ergo effectus habet salvificos in membris Ecclesiae, nam eis confert unitatis et caritatis gratiam, cum Eucharistia cibus sit animae spiritualis, antidotum peccati, principium futurae gloriae, fons sanctitatis.

Ut Paulus VI in Encyclicis *Mysterium Fidei* inscriptis confirmavit, Missa semper est actio Christi et Ecclesiae, etsi privatim per exceptionem celebretur, id est a solo sacerdote. Christus autem non spiritualiter vel symbolice praesens adest, sed substantialiter in Eucharistia, qui fons est unitatis Ecclesiae, Corporis Eius. Iuxta fidem, quam Ecclesia inde a principio est professa, Eucharistiam, secus quam cetera Sacramenta, esse credimus “carnem Salvatoris nostri Iesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quaeque Pater benignitate sua suscitavit”. Specierum autem transubstantiationis, praeter quam in epistula Encyclica, etiam in *Fidei Professione* Paulus VI nexum confirmat causalem cum praesentia: Christus praesens fit in Eucharistia per integrae utriusque speciei substantiae conversionem.

Magisterium Pauli VI altius perscrutatur quaestionem de *transubstantiatione*, nam, ut ipse declarat, post hanc mutationem substantialem ambae species “novam induunt significationem et novum finem, quia novam continent ‘realitatem’ quam merito *ontologicam* dicimus”.

Eucharistia et Incarnatio Verbi

23. Iesus Filius est Dei in corpore praesens in hominibus. Quod non modo ipse affirmavit, sed uno ore Spiritus et Pater testati sunt, praesertim in baptismo et in transfiguratione. Dominus praesentiam habet quotidianam, “omnibus diebus usque ad consummationem saeculi” (*Mt* 28,20), per aetates historiae. Quae praesentia, cui Pater originem praestat, quaeque iugiter ad Eum refertur, contemporanea fit omni homini omni tempore, Spritus munere. Plenitudo Verbi divina fuit in humanitate Iesu Nazareni. Post eius ascensionem (cf. *Mc* 16,19-20; *Lc* 24,50-53; *Act* 1,9-14) permanet in mysterio eucharistico, quo maxime sacramento Deus homini praesens est. Ascensione enim Christus non evanescit quasi in caelum conclusum; quod caelum apertum sit modus indicat redeundi: “Tunc igitur...filius hominis Dei Filius excellentius sacratusque innotuit, cum in paternae maiestatis gloriam se recepit et ineffabili modo coepit esse Divinitate praesentior, qui factus est humanitate longinquior...Cum ad Patrem meum ascendero, tunc me *perfectius veriusque* palpabis”. Ideo, inde ab Ascensione Iesus Christus a mundo non abest, se novo modulo adest praesens.

Dixerat enim Christus: “Non me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini” (*Mt* 23,39). Calicem benedictionis in manus denuo Apostoli sumpserunt, postquam ipse redivivus in eos reversus est ; ex illo tempore Ecclesia, quoties congregatur, semper eum benedictum acclamat et in liturgia, postquam ter *Sanctus* concinuit, addit *Benedictus, qui venit in nomine Domini*.

24. Ideo fides christiana non in eo tantum est, ut credat Deum esse vel Iesum hominem vixisse, sed in eo continetur, quod Verbum Dei caro factum est et *pergit in nobis habitare*. Principio terrenae vitae corpus habuit mortale, cuius proprietates spatio et tempori erant subiectae, deinde corpus habuit redivivum, iam iis vinculis solutum. Nam Qui resurrexit clausis foribus intrat, puncto temporis spatia percurrit ingentia, ut a suis agnoscatur, audiatur, conspiciatur, tangatur. Ex quo resurrexit et in caelum ascendit praesentia eius *res* est nova.

Ista Dei methodus, qui historiam transit ut omnem hominem pertingat, videtur iam in Epistula prima S. Ioannis apparere : “Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt, de Verbo vitae...annuntiamus vobis ut et vos societatem habeatis nobiscum” (*I Io* 1, 1-3). Quod S.

Ambrosius commentatur : “incarnationis exemplo adstruamus mysterii veritatem. Numquid naturae usus praecessit cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur?...Et hoc quod conficimus corpus ex virgine est...Vera utique caro Christi quae crucifixa est, quae sepulta est. Verum ergo carnis illius sacramentum est”.

Propterea in veritate et in realitate incarnationis Verbi fundamentum habent Corpus eucharisticum et Corpus ecclesiale, doctrina eucharistica, theologia sacramentaria. Ut S. Hilarius affirmat, “vere Verbum caro factum est (cf. *Io* 1,14) et vere nos Verbum cibo dominico sumimus”. Ideo, ut Ioannes Paulus II commemorat, “Eucharistia, dum passionem resurrectionemque attingit, eodem tempore Incarnationis continuationem secum fert. In Annuntiatione divinum Filium in physica etiam veritate corporis sanguinisque Maria concepit, id praecipiens in se quod sacramentaliter quodammodo in singulis credentibus fit, qui sub panis vinique specie corpus et sanguinem Domini recipiunt”.

Fulgida et fusca in comprehensione Doni

25. Magisterium Papae et episcoporum, post concilium Vaticanum II, sedulo intervenit ad favendum applicationi liturgicae reformationis et ad eius exitus perpendendos. In epistula encyclica cuius titulus *Ecclesia de Eucharistia* Ioannes Paulus II, postquam indicavit inter fulgida praesertim fidelium ad liturgiam participationem, “dolendum” putat esse etiam fusca ostendere: contemptionem, quam quibusdam in locis cultus eucharisticus patitur et abusus “qui ad rectam obscurandam fidem doctrinamque catholicam super hoc mirabili sacramento aliquid conferunt”. Distinguendum est lumen Eucharistiae, prout sacramentum est, ab umbris, quae quidem opera sunt hominis. Verbi gratia, sunt qui in catechesi et in praxi de Eucharistia quasi uni lateri haerentes una instant de indole Eucharistiae conviviali, de sacerdotio communi, de praedicatione, quam ipsam per se efficacem putant, de ritibus eucharisticis oecumenicis, qui tamen fidei et ecclesiasticae disciplinae adversantur.

Salva traditionum et rituum ratione, recuperanda est unitas universa eucharistici mysterii, quo continentur tum verbum Dei proclamatum, tum communitas cum sacerdote, qui *in persona Christi* celebrat, congregata, tum gratiarum actio Deo Patri propter dona eius oblata, tum transsubstantiatio panis et vini in corpus et in sanguinem Domini, tum praesentia eius sacramentalis vi verbi Iesus quod consecrat, tum sacrificium crucis Patri oblatum, tum demum communio ad corpus et ad sanguinem Domini qui resurrexit. Ut Papa ait : “Eucharisticum Mysterium - sacrificium, praesentia, convivium - *neque extenuationem neque abusionem* patitur. Ex toto ipsum vivatur oportet...Tunc firmiter aedificatur Ecclesia et significatur id quod ipsa re vera est”.

26. Ipsa Encyclica explanat : “Continenter vivit Ecclesia de hoc salutifero sacrificio, ad quod non modo per recordationem fidei plenam accedit, sed etiam in solido quodam tactu quia *hoc Sacrificium revertitur praesens*, se dum sacramentali via in omni communitate perpetuat quae illud per ministri consecrati offert manus”. Eucharistia virtutem continet Spiritus quae homini traditur in communionem et in adorationem Domini vere praesentis.

Vita gratiae per signa sensibilia transmittitur quovis in sacramento, sed evidentius in Eucharistia. Ecclesia non sibi ipsa vitam dat, non ipsa se aedificat: de re vivit, quae eam praecedat. Etenim “communis et inseparabilis Filii et Spiritus Sancti actio, quae Ecclesiam generavit eius in constitutione ac permanentia, operatur in Eucharistia”. Proinde Ecclesia non deorsum nascitur, quia *communio* gratia est, donum ab alto descendens.

“A Christo, suo Domino, Eucharistiam accepit Ecclesia non veluti donum licet magni pretii inter tot alia, sed *donum per excellentiam*. Quoniam donum est eius ipsius nec non illius Personae in Sancta humanitate sicut etiam donum operis salutis. Hoc non definitur praeterito tempore, quoniam ‘quidquid Christus est, et quidquid Ipse pro omnibus hominibus fecit et passus est, aeternitatem participat divinam et sic omnia transcendit tempora”.

Eucharistia signum unitatis

27. S. Ignatius Antiochenus “Convenitis - inquit – in una fide et in uno Iesu Christo...frangentes panem unum, qui pharmacum immortalitatis est”. Ut S. Ioannes Chrysostomus censet, “hoc est enim unitas fidei, quando omnes unum sumus, quando colligationem omnes simul agnoscimus”. Unitas fidei quam in baptismo accepimus praesupponitur ut ad unitatem divinae Eucharistiae admittamur, quia per eam in communionem ingredimur cum Eo, quem credimus consubstantialem Patri, iuxta fidem quam habemus in Eum. Qui autem cum eo communionem habeamus una cum hominibus, qui de Eo alia profiteantur? Rei essemus Corporis et Sanguinis Domini (cf. *1 Cor* 11, 27). Ecclesia, quippe quae Mater sit, dolorem et amorem sentit erga omnem hominem, qui non credit, qui est catechumenus, qui a fide longe abest, sed potestatem nullam habet communionem administrandi hominibus non baptizatis, heterodoxis, pravis hominibus.

Cum *unum* accepimus panem, in hanc *unam* ingredimur vitam ita, ut *unum* efficiamur Corpus Domini. Fructus Eucharistiae est unitas christianorum, qui prius fuerant dispersi, in unitate unius panis et unius corporis. Propter id ipsum sumi ea potest tantum in unitate cum Ecclesia universa, deposita quavis religionis vel morum separatione.

28. Ita res perspicentes de *intercommunione*, quam vocant, tractare debemus, iusta humilitate et patientia. Pro certis quibusdam experimentis, quibus mysterium sua defraudatur magnificentia, cum Eucharistia in instrumentum deiciatur nostris situm in manibus, satius est servare, in oratione communi et in spe, ea “quae secum fert ipsum Sacramentum communionis, in fide et apostolica successione”.

Cum Ecclesiis orthodoxis eiusdem fidei eucharisticae sumus participes, quia vera habent sacramenta. Proinde aliquando communio eucharistica fieri potest ; manet tamen acriter considerandus nexus qui inter eucharisticum hospitium, quod vocant, et proselytismum interest. Item sunt quaedam communitates ecclesiales Reformationi addictae, praesertim lutherani, quae credunt Christum inter celebrationem adesse praesentem ; cum tamen careant ordinis sacramento genuinam et integram substantiam eucharistici mysterii minus servaverunt. Dissensiones quodam modo compositae sunt, sed consensus nondum est plenus. Proinde non nisi si necessitas spiritualis urgeat membrum acatholicum apte instructum, quod scilicet eandem profiteatur fidem in Eucharistiam, accedere potest; catholicus vero fidelis accedere poterit tantum si minister valide erit ordinatus.

Caput IV

Liturgia et Eucharistia

Liturgia in medio universo mundo

29. Incarnatio Domini eiusque Ascensio effici siverunt communicationem inter caelum et terram, in visione scalarum Iacobi adumbratam (cf. *Gn* 28,12) et ab ipso Christo praeannuntiatam (cf. *Io* 1,51). Apocalypsis, cum altari Agni in media civitate Ierusalem a caelo in terras descendente, archetypus est christiani cultus: qui adoratio est Dei ab homine praebita et hominis cum Deo communio. In Canone Romano, cum invocamus: *Supplices te rogamus*, memoramus “sublime altare”, quia inde gratia descendit Eius, qui Resurrexit et Vivens est, atque mirabile commercium completur, unde homo salvatur.

Christus est *catholicus Patris sacerdos*, per cuius humanitatem Spiritus Sanctus emittit vitam divinam ad creaturas et ad hominem eandemque perficit. Natura humana Christi fons est salutis, ipse enim summus est liturgus et pontifex. Iuxta orientales, praesentia Trinitatis synaxi eucharisticae dignitatem confert conventus caeli et terrae : “Tabernaculum Dei cum hominibus” (*Ap* 21,3). Ut S. Dionysius Areopagita docet, Deus “pulchritudo nominatur...quia omnia ad se *vocat* (*kalei*) et tota in unum *colligit* (*synaghei*)”. Vocabula graeca synonyma sunt convocationis ecclesialis : “Tibi terram caelum facit hoc mysterium...quod enim illic pretiosissimum est, hoc tibi in terra iacens monstrabo...non angelos, non archangelos, ipsum Dominum angelorum et archangelorum ostendo”.

Ideo fit ut “universalem indolem vehementer percipiamus, immo, ut ita dicamus ‘cosmicam’. Ita est, cosmicam! Quoniam quoties etiam parvo in altari sacelli rustici celebratur, Eucharistia quodam sensu semper celebratur *in ara orbis*. Caelum enim coniungit et terram. Continet et penetrat omnia creata”.

De valida Eucharistiae celebratione

30. Sacramentum est “signum sensibile rei sacrae et invisibilis gratiae visibilis forma”. Quae definitio tridentina obsoleta videri non debet, nam adhuc valet commemorare quibus elementis sacramentum quoque eucharisticum necessario constet, quae sunt: minister, sumentes, gestus sensibilis.

Quod ad elementa attinet, gestus Eucharistiae effici potest tantum ex pane et vino modica aqua admixto, quibus unio exprimitur populi sancti cum Christi sacrificio, quamvis ad validitatem gestus aquam adhiberi necessarium non sit. Quod ad formam attinet, pro fide catholica, essentialia et necessaria tantum sunt verba consecrationis. Minister sacerdos est, qui valide sit ordinatus. Valida ratione Eucharistiam sumere tantum baptizati possunt, in quibus, iuxta traditionem Latinorum, usus requiritur rationis, ut, quantum fieri potest, cognitionem habeant fidei mysteriorum, ut ad ea recta

intentione et devotione accedant. Requiritur insuper status gratiae, qui post peccatum mortale confessione percipitur sacramentali.

Ex his omnibus rebus intellegimus, non esse liturgiam quasi privatam possessionem, quam suo quisque animo creandi subicere possit tam in celebrationibus communitariis quam in iis, quibus pauci vel nullus intersit fidelis. Forma *Missae concelebratae* pluribus a ministris, in qua maxime unitas apparet sacerdotii, sacrificii et populi Dei, in ritu romano normis regitur definitis. In ritibus orientalibus, ut insignis unitatis expressio, minus praescribitur “praesertim quoties numerus concelebrantium nimius sit quam pro numero Christifidelium praesentium”. Qua re ad secum considerandum ii quoque induci debent, qui ritui latino addicti sunt.

31. *Instructio Generalis Missalis Romani*, in capite I, ubi agit de ‘Momento et dignitate’ eucharisticae celebrationis, eam, ut est actio Christi et populi Dei hierarchice ordinati, esse declarat cor christianae vitae pro Ecclesia universali, pro locali, pro singulis fidelibus. Praecipua quaedam ‘elementa et partes S. Missae’, quae sunt plerumque omnibus ritibus, et orientalibus et occidentalibus, communia altum urgent symbolismum et dimensionem pastoraalem Eucharistiae, quibus neque partiales neque erroneae interpretationes illae permittuntur animi, ut aiunt, liturgice creandi, neque demum reprehensio conceditur, eius, quod est legitimum.

Actus poenitentialis

32. Actus iste proprius est romani ritus et finem habet animos *disponendi* ut et Verbum Dei audiant et digne celebrent Eucharistiam. In ritibus byzantino, armeno, syro-antiocheno orationes habemus, quibus sacerdos praeparatur, una cum gestibus purificationis (ut sunt manuum ablutio, incensum), qui peculiare sunt etiam rituum maronitarum, chaldaeorum, coptorum. Missale Romanum formulas proponit, quae nostri peccatorum status agnitioni faveant, iudicium ad *contritionem* cordis inducant, desiderium divinae et fraternae *veniae* concitet peccatorum. Examen conscientiae vocari nequit, quod tempore et recognitione personali egeat, quae quidem condicio confessioni sacramentali inhaereat. Actum poenitentialem concludimus misericordiam Dei invocantes.

Verbum Dei et symbolum fidei

33. In priore Missae parte, iuxta ritus orientales, vivimus mysterium incarnationis Verbi, quod in mundum ingreditur, ut se audiendum praebeat hominemque alat. Cibo et potu eucharisticis, ut a *Didaché* docemur, nobis cognitio offertur Dei eamque sumimus.

Evangelium Verbum continet, praeconium gaudiosum (*euaggélion*), Deum in terras descendisse ad cibum nobis tradendum, qui non perit. Eucharistia nos amicos Christi facit, Sapientiae Dei. Est ‘Evangelium spei’!

Ad responsum huic praeconio praestandum, post homiliam, apud latinos et armenos, post Dona vero translata apud byzantinos et ceteros orientales, ‘symbolum fidei’ proclamatur. Quod interpolari aut mutari nequit: unum est e vinculis necessariis ut accedamus ad Eucharistiam, quia mensa Verbi et Eucharistiae una unius Domini mensa sunt et “unum actum cultus” requirunt.

Praesentatio Donorum

34. In ritu romano liturgia eucharistica a donorum praeparatione incipit. Tunc magnum momentum induunt fideles laici, qui usque ad presbyterium panem afferunt vinumque, quae illic sacerdos accipit, ut Deo Patri offerat. Illud quoque licet, alia dona offerri pro pauperibus vel ceteris ecclesiis adiuvandis. Pane vinoque adductis non minus quam donis pro caritate oblati nexus ille praevalidus urgetur, quo Eucharistia et mandatum ut invicem diligamus inter se iunguntur. Illud tamen liturgia cavet, ut panis vinumque protinus in altari collocentur, cetera vero dona non super mensam eucharisticam, sed extra eam, apto in loco deponantur; qua re debita illa veneratio exprimitur elementorum quae dein in corpus et sanguinem Domini convertentur.

In liturgia byzantina, super altare praeter lintea et sacrum linum deponitur, imagine ornatum corporis Christi de cruce depositi; Dona deponuntur, quae dein fient corpus et sanguis Domini per gestum, quo passio Domini immaculata eiusque sepultura repraesentatur. Ut sacerdos dignus fiat qui ea pro se et populi peccatis offerat, post ‘Magnam Ingressionem’ supplex Patrem precatur. Nam, sacerdos a peccato (*hamartía*) alienus esse debet “non natura sua, sed dignitate sacerdotis”.

Dein incensatio sanctorum Donorum fit, qua praefiguntur et Spiritus super ea descendens et oratio adorativa quae in Christo ad Patrem ascendit. Praeparatio et praesentatio Donorum non vixdum momentum et functio est, sed pars quasi nervis Sacrificii inhaerens et alte symbolica.

Eucharistica prex

35. Sacerdos, vel diaconus in ritibus orientalibus, precem eucharisticam introducit per invitationem: “Sursum corda”. In *Constitutionibus Apostolicis* legimus: “Recti ante Dominum Cum timore et tremore stamus ad offerendam oblationem”. Dialogus, ut S. Ioannes Chrysostomus docet, deservit “ut, segnitiem saecularibus curis partam eicientes, rectam coram Deo animam nostram statuere possimus...Cogita cui proxime adstes, ac quibuscum Deum invocaturus sis, scilicet cum Cherubim...Nemo igitur animo resoluta sacras illas et mysticas laudes adeat ;...sed terrenis omnibus expulsis, in caelum se quisque totum transferat ac quasi ad thronum gloriae admotus, cum Seraphim volaret, sic sanctissimum hymnum magnifico gloriosissimoque Deo emittat. Ideo tunc temporis probe stare iubemur...nempe ‘cum metu et tremore’ (*Phil. 2,12*), cum animo vigili et diligenti”.

Haec ipsa elevatio nomine *anaphorae* significatur: actio est credentium sursum corda transferentium. Dona non vixdum ad altare terrenum transferuntur, sed usque ad altare caeleste elevantur et hoc in pace fieri debet, in spatio pacis caelestis imperturbabilis. Praeterea sacrificium unum in finem offerri debet, scilicet amoris et misericordiae causa. Ita gratum fit Domino. Sacrificium est laudis quia amorem Domini exaltat.

36. Fideles concordantes respondent: “Dignum et iustum est”. Ut S. Ioannes Chrysostomus animadvertit : “ea oratio qua Deo gratiae aguntur, utriusque communis est : neque enim ipse solus gratias agit sacerdos, sed etiam plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt, id digne ac iuste fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur”. Ita exprimitur participatio populi Dei, eius processio in Ecclesiam caelestem versus, quae culmen habet in hymno *Sanctus*, quod carmen est victoriae (*epinikion*), fusio angelici hymni in visione Isaiae cum acclamatione populi Ierosolymitani pro Domino in Sanctam Civitatem ingrediente ad passionem suam voluntariam obeundam.

Post anaphorae finem fideles *Amen* dicentes respondent doxologiae trinitariae et “exclamatione illa suas proprias faciunt expressiones sacerdotis”.

Eucharistiae institutio

37. Dominus pridie quam pateretur, accepit panem et gratias agens fregit ...et dixit. Mandatum ‘Hoc facite in meam commemorationem’ Apostolis conversum, qui in mystica Cena integram Ecclesiam repraesentant, inde a successoribus eorum intellegitur de integro actu eucharistico dictum. Cuius culmen in conversione panis et vini in corpus et sanguinem Domini et in fide in verba eius.

Inde ab originibus Ecclesia sollemniter agit quae Dominus fecit, cuius gestus, praesentationem Donorum, consecrationem, fractionem et distributionem, partit, ut de eis singillatim meditetur, quasi semper denuo de eorum significatione doceri velit. Ideo verba ‘accipite et manducate’ non eodem tempore fractionem hostiae includunt ; quo in casu continuo post intervenire communio debebat. Econtra, hoc puncto liturgiae penitus mystico, qui celebrat monetur, ut se inclinet et verba voce clara, non tamen elata, ad contemplationi favendum, proferat, ut Episcopus facit Feria V Hebdomadis Sanctae, dum halitum efflat super chrisma. Qui celebrat “in modo se gerendi et verba divina proferendi praesentiam vivam Christi fidelibus insinuare” debet . Nunc enim Sacrificium sacramentale fit.

Epiclesis super Donis consecratis

38. Primis saeculis invocatio quaedam una cum manuum extensione (*epiclesi*), ad sanctificationem et transmutationem panis et vini in corpus et sanguinem Domini, ad Patrem convertebatur ante consecrationem, ut Ipse Spiritum Sanctum emitteret. Fundamentum huiusmodi orationis in verbis inest, quae Dominus protulit postquam mysterium instituit : “Cum autem venerit Paraclitus...ille testimonium perhibebit de me...et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis...Ille me clarificabit” (*Io 15,26 ; 14,26 ; 16,14*). Inter saecula IV et V postposita est, ob similitudines de divinitate Spiritus Sancti, ut quaedam traditiones liturgicae testantur. Maxima anaphorarum pars eam loco in originali servat, ut fit in Canone Romano, qui a Patre Spiritum invocatur, ‘ut emittat suae benedictionis potentiam’.

Patribus, qui momentum confirmaverunt *epicleseos* Spiritus, placuit eam coniungere cum verbis institutionis, ut signum sacramentale perfectionem attingeret. Nam verba Domini spiritus sunt et vita (cf. *Io 6, 63*). Ipse una cum Spiritu Sancto operatur neque unus desinit esse consecrator Eucharistiae et dispensator Spiritus. Utcumque Concilium Tridentinum sanxit, non esse epiclesin omnino necessariam ad Eucharistiam valide conficiendam.

Ut S. Ambrosius adnotat: "...quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur...Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare quam mutare naturas...Ipse clamat Dominus Iesus: 'Hoc est corpus meum'. Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis 'Amen', hoc est 'Verum est'".

Ecclesia sanctorum in Eucharistia

39. In Divina Liturgia memoria fit eorum in quibus Christus vivit. Ut ait S. Dionysius Areopagita: "Adest praesens inseparabiliter chorus sanctorum, quo ipsi apparent esse indivisibiliter coniuncti cum eo unione quadam supramundana et sacra". Nulla contrapositio esse potest inter cultum Dominicum et cultum Sanctorum. Donec vixerunt, omnia facere conati sunt ad gloriam Dei, nunc exsultant quia per eos Deus clarificatur. *Intercessionem* oblationem Eucharistiae in communionem cum Ecclesia tota expriment, caelesti et terrestri, pro omnibus membris eius tam vivis quam defunctis. Inprimis invocatio fit Deiparae et semper Virginis Mariae quia consecratio, quam ipsa sui fecit Domino, similis est traditioni vitae nostrae, quae semper in sacrificio eucharistico renovatur. Eucharistiam offerimus in memoriam sanctorum, ut eos honore afficiamus, ut Deo gratias agamus, qui nobis eos donavit intercessores pro nobis. Ipsi, qui gratiarum actio hominum sunt pro acceptis beneficiis, *intercedunt et intersunt* nostris eucharistiis.

Christus se ipsum communicat etiam defunctis, at, iuxta Cabasilam, "secundum modum quem Ipse novit solus"; si in statu sunt purificationis, gratiam non minorem quam vivi accipiunt, quae, ut S. Ioannes Chrysostomus animadvertit, eis impetrat remissionem peccatorum.

Praeparatio ad communionem

40. Eucharistia praesentia est viva Christin in Ecclesia. Humiliatio Domini eum induxit, ut se in escam hominis converteret (cf *1 Cor* 10,16; 11,23s.). In symbolis huius mysterii quae a traditione accepimus *piscis* est: "mihi in escam apparavit pisces fontanum...incontaminatum, quem virgo pura accipit et quotidie amicis porrigit, ut edant cum vino sincero, quod offert pani admixtum", ut legimus in celebri illa S. Abercii inscriptione, qui episcopus fuit saeculo II, et omnium inscriptionum antiquissima est, quae de Eucharistia sunt. Alius symbolum donationis sui *pellicanus* est: "*Pie pellicane Jesu Domine...*" exclamat S. Thomas Aquinas in hymno *Adoro te devote*. Mysterium Incarnationis Verbi continuatur in *Corpore eucharistico*, in pane hominum. Quod Iesus praeannuntiavit in sermone Capharnai habito: "*Ego sum panis qui de caelo descendi...*" (*Io* 6,41). Caro eius vere est cibus, eius sanguis vere est potus (cf. *Io* 6,55). In communionem eucharistica alitur communio ecclesialis, communio sanctorum; nam "*Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus*" (*1 Cor* 10,17).

41. Eucharistia convivium est paschale Agni immolati, Christi Domini. Plena fidelium participatio ad S. Missam in sancta communionem perficitur, debitis dispositionibus sumpta et exterioribus et interioribus. Ideo, ut est reicienda abstinentia diu producta ob nimium scrupulum, ita non est suadendum fidelibus ut frequenter communicent indiscriminatim.

Exclusio ob gravia peccata a communionem verbis ipsis ostenditur institutionis: "sanguis qui effundetur...in remissionem peccatorum" (*Mt* 26,28) eamque veteres testantur anaphorae.

Bene mature Ecclesia iter requisivit a catechumenis et poenitentibus faciendum: poenitentes S. Missae intererant ut *akoinônetoi* (communione privi). Ob gravia peccata ad canonicam poenitentiam recurrendum erat. Quod multi patres instanter praedicent, dignos esse oportere, comprobatur etiam in epiclesi post consecrationem petitam remissionem peccatorum non invitationem esse, qua rei gravium peccatorum inducantur, ut nulla poenitentia praevia ad Eucharistiam accedant. Quamquam Missae valide interesse possumus quin communicemus, cum communio pars sacrificii integrans, non vero essentialis sit, tamen illud confirmatur, non posse nos plene ad corpus Christi participare privos apta dispositione.

42. Praeparatio personalis ritibus perficitur Communionis, qui sunt:

- *Oratio Dominica*: in qua petitio inest panis quotidiani, qui quidem eucharisticus quoque panis est, dum "imploramus purificationem a peccatis, ita ut vere *sancta* Dona sanctis praebentur". Petentes ut nobis venia donetur, petimus ut veniam donare sciamus, ut Regnum et voluntas Dei fiant in nobis et digni efficiamur Sacramento sumendo.

- *Ritus pacis* : oblatio vel salutatio pacis, id est veniae, quae in liturgiis orientalibus et in ritu ambrosiano ante anaphoram fit, in ritu romano ante communionem efficitur. Dominus qui resurrexit apparuit inter suos et pacem obtulit suam, apparuit, ut S. Ioannes Chrysostomus dicit, “mensam pacis”. Eucharistia pacem donat salutemque animabus, scilicet Christum ipsum (cf *Eph* 2, 13-17) ; ille enim immolatus est ut pacem faceret inter res caelestes et terrenas, ut vita pacifica cum fratribus ageretur. Ideo Eucharistia vinculum est pacis (cf *Eph* 4, 3) : “Ut pax unitatem inter multos efficit, ita similtas unum in multos dividit”. Nam “pax...est Ecclesia Christi”. Christianus, dum pacem petit, reapse Christum petit : “Qui pacem quaerit, Christum quaerit ; nam ipse est pax”. Liturgia mysterium est, quo pax Christi denuo omnia quae creata sunt pertingit.

Constitutiones Apostolicae ita ritum pacis offerendae describunt: “Membra cleri episcopum saluent et, in laicis, viri viros, mulieres inter se saluent”. Osculum fidelium actio est sacra, experimentum unitatis qua fideles inter se et cum Verbo coniunguntur. Ideo praeprius pacem imploramus oratione, qua et unitatem Ecclesiae petimus humanaeque familiae, et mutuam amorem brevi sacerdotis et fidelium dialogo exprimimus. Ritu tamen non tenemur, ut gestum pacis vicissim offeramus et accipiamus, quod pro opportunitate fit. Quo in casu, ut in sobria romanorum liturgia et in magnifico byzantinorum ritu fit, unusquisque offert pacem iis, qui proximi sunt, nec suum locum deserit nec attentionem ceterorum turbat. Pro decoro igitur liturgiae hic ritus disciplina regendus esse, haud inopportune videtur.

Pacis nomine primi christiani Eucharistiam vocabant, quia ipsa idem est atque *congregare*, cancellos praeterire, homines in unitatem ducere novam. In eucharistica congregatione christiani, dum ante communionem sumendam alter alterius debita condonant, in mundo sine pace condiciones ad pacem assequendam creaverunt.

- *Fractio Panis*: qui ritus illud significat, quod, multi in fracti panis communionem unum corpus efficiuntur. S. Ioannes Chrysostomus “quod - inquit- non passus est in cruce, hoc propter te patitur in oblatione et frangi patitur ut omnes impleat”. At Christus, quamquam frangitur, non dividitur. Post fractionem quaevis particula sancti panis Christus integer est. Qui ad communionem accedunt, ii omnes totum Christum sumunt, qui omnia totus implet. Nulla communitas nisi cum Ecclesia tota Christum sumere potest.

- *Unio specierum* : simplex est gestus iste in liturgia romana, sed magna eius significatio, qua actio Spiritus exaltatur, ab incarnatione in resurrectionem dominicam. In Liturgia byzantina pro ‘Plenitudine Spiritus Sancti’ explicatur; dein, in singulari ritu *zéon* infundendi, dum aqua calida perfunditur, dicitur: ‘Fervor Spiritus Sancti’. Nunc Christus resurgit!

- *Praeparatio personalis* : a sacerdote fit qui orationes recitat pulcherrimas submissa voce et breve servat silentium, quod silentium diutius protractum post communionem anticipat. Exemplum est, quo fideles in praeparatione adiuvantur.

Sancta communio

43. Sacerdos Hostiam consecratam elevat ut super crucem Corpus Christi elevatum est et in liturgia latina dicit: “*Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Beati qui ad Cenam Agni vocati sunt*”; in liturgia byzantina: ‘Sancta sanctis’. Praeterea “quia communio mysteriorum non omnibus indiscriminatim permittitur, non omnes sacerdos invitat...sed quotquot in conditione sunt ut digne participant, eos invitat: *Sancta sanctis*...Hic sanctos vocat eos, qui in virtute perfecti sunt et eos quoque qui ad perfectionem illam tendunt, etsi adhuc careant. Nihil enim impedit, quominus isti a participatione sanctorum mysteriorum sanctificentur”. Eucharistia est sacramentum reconciliatorum, quod Dominus offert iis, qui unum cum Eo facti sunt. Ideo inde ab initio *probatio sui* Eucharistiam praecedat (cf *1 Cor* 11,27s) sub poena sacrilegii. *Didache* hanc Apostolorum traditionem suscipit et praecipit ut sacerdos ante quam sacramentum distribuatur haec verba pronuntiet: Si quis sanctus, veniat; si minus, poenitentiam agat!”. Quae invitatio adhuc in liturgia byzantina viget. In liturgia romana sacerdos ad communionem invitat et una cum fidelibus verba evangelica recitat: “*Domine, non sum dignus*”, ad sensum humilitatis exprimenda; omnis communicandus pro persona sua *Amen* respondet.

44. A veteribus fontibus illud efficiunt, communionem non capiendam esse sed sumendam, in symbolum eius, quod significat, nam Donum est quod sumimus adorantes. Quibus casibus cautum est, ut communio sub utraque specie sumatur, in ritu latino commemoranda est doctrina ad eam pertinens. In ritibus orientalibus traditio iuxta canones servanda est.

Vera devotione praecipimur ut ad communionem sumendam accedamus. S. Franciscus de Assisio ardebat “amore in omnibus sui ipsius fibris, de tanta bona dignatione et supereminenti caritate immenso stupore raptus. Ad communionem accedebat adeo devote ut ceteros etiam devotos redderet”. Cabasilas autem ad illud cogitandum nos invitat, quod “dum communicamus ad carnem et sanguinem hominis, Deum in animam accipimus : corpus Dei non minus quam hominis, sanguinem et animam Dei, Dei mentem et voluntatem non minus quam hominis”. Veritas Corporis Christi eius persona est eiusque vita, mysterium et veritas salvifica, quae ambo, S. Thomam Aquinatem secuti, et fide et ratione amplecti debemus.

Oratio demum post communionem fructus petit mysterii celebrati et sumpti, quia ad eos percipiendos S. Missa praeordinatur.

Caput V

Mystagogia Eucharistica pro nova evangelizatione

Patres

45. Dominus promisit: “Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi” (*Mt* 28,20). Non nos eum praesentem efficitur, sed ille se praesentem reddit in nobis et omnibus diebus permanet. Fideles, ut ad mysterium accedant praesentiae eius permanentis, et catechesi docentur catechumenorum, quae intime coniuncta est cum liturgia, et *mystagogia* imbuuntur sive catechesi initiatis post baptismum reservata.

Initiatio christiana tunc systematis formam theologico-liturgici est adeptata, cum V saeculo ineunte homiliae catecheseos conscriptae sunt. Patres Alexandrini, ab Origene usque ad ps. Dionysium, mystagogiam quandam allegoricam proposuerunt, cum liturgiam, haud secus quam Scripturam, pro itinere haberent elevationis, a littera ad spiritum, a mysteriis visibilibus, quae sunt sacramenta, ad invisibile mysterium. Ita liturgia narrationem Scripturarum consecrabatur et eschatologiam praebebat moralem personalem, quae iter esset ab ista vita ad Deum. Mystagogia vero patrum antiochenorum, praesertim S. Cyrilli Ierosolymitani, S. Ioannis Chrysostomi, Theodori Mopsuesteni, in describendis per liturgiam eventibus salutis historicis et mystericis consistit, quos *typologicos* esse patres illi censebant. Nam, ut illi sentiebant, sacramenta imitando (*mimesis*) reproducent sive memoriam renovant (*anamnesis*) actionum salutarium in vita Iesu, eademque liturgiam definitivam anticipant; immo potius eam in tempus praesens transferunt propterea quod Dominus qui resurrexit inter eos est, qui congregantur ad cultum praestandum.

Mysterium nostra aetate negatum

46. Dum sunt orbis regiones, in quibus mysterii sensus perquam robustus esse non desinit, alibi contra mentis habitus pervagatus deprehenditur, qui non mysterium Dei aperte denegat, sed et idem infitatur ratione agnosci posse et homines ei libere adhaerere valere negat. Paganismus quidam renovatus voces edit, quibus homines incitantur ut, rebus veris desertis, in mythos confugiant inque idola, quae per temporis punctum tantum viventes consolari possunt. Eodem tempore spiritualitatem late postulari perspicimus. Praeterea surgunt propensiones gnosticae, quae inducunt ad historiae sensum exquirendum apud paucos privilegiarios, qui eius cognitionem, opinatae munere revelationis, habere praesumuntur.

Ecclesia opitulari vult hominibus, ut iterum inveniant mysterium a saeculis absconditum et in Iesu Christo manifestatum (cf *Eph* 3,5-6). Quoniam illud mystagogia significat, conducere via tali, quae ad mysterium vehat, intellegimus cur sine personali conversione iter liturgicum non sufficiat.

Mystagogia his temporibus

47. Dominus ambulat cum populo suo, Ecclesiae missionem praesentia sua semper comitatur, quae nos transformat nosque sinit tempus ingredi ultimum (*éschaton*). Principium mystagogiae obtinet quasi quaedam *congressio* fidei, qua Dominum per gratiam Eius convenimus. Consuetudo est Ecclesiarum orientalium ut S. communionem parvulis quoque administrent una cum baptismo et confirmatione; quae quidem consuetudo, Eucharistiae gratia quemvis hominum interventum praecedi, confirmat. Nisi Iesus attraheret, quomodo quis posset mystagogiam agere? In Evangelio Iesus traditur convenisse viros et mulieres omni genere ortos. E Christi hominisque congressione iter cognitionis exordium habuit, quod evadit in fidei experientiam: “ubi habitas?...et apud eum manserunt” (*Io* 1, 38-39). Unde factum est, ut nonnulli eum sequerentur. Haec est mystagogia Dei erga hominem, quae incipit cum carnem suscipit nostram eamque ad redemptionem adducit.

Mystagogiae nostrae aetatis allegorismus erit evitandus, quia haud raro inexplicabilis esse videtur et rebus abstractus atque in interpretationes inducit prolixas. De vi potius Spiritus erit confidendum, qui se per verba sobria et actiones sacramentales communicat. Ea est Spiritus Sancti missio, ut intellectionem donet earum rerum, quas Iesus Christus

revelavit. Ipse mystagogus est ille invisibilis. De sententia S. Basilii, etsi unaquaeque Trinitatis Persona proprium aliquid compleverit, in tribus tamen illis consilium permanet generale.

Magni est igitur momenti methodus patrum iterum explananda, ut respondeamus siti imagines et symbola conspiciendi, quae nota est peculiaris hominum nostrae aetatis. Opera quoque theologorum Mediae Aetatis haud inutilis est, ut respondeamus rationis usui necessario dum mysterio adhaeremus. Quod patrimonium in orationibus asservatur et in ritibus liturgicis, quorum ab intellectione haud parum pendet participatio ad mysterium eucharisticum. At catechesis quoque opem ferre debet et sacerdotibus et fidelibus, ut intelligant et exsequantur diversas illas condiciones in Eucharistia celebranda positas.

De Eucharistiae praesidendo

48. Methodus mystagogiae in ritibus legit mysterium Christi et res invisibiles, quae illis subiacent, contemplatur. Ideo mystagogus in liturgia non suo nomine dicit, sed quasi echo voces recinit Ecclesiae, quae illi commisit quod ipsa acceperat. Neque celebranti neque communitati licet, liturgiam quasi “privata proprietas alicuius” sit tractare.

Immo, S. Ioannes Baptista figura maxima et quasi emblema est ministri, qui se minuit ut Dominus crescat. Hoc est fundamentum sacrae potestatis, quae *exousia* est in Spiritu Sancto, Ecclesiae commissa a Christo ut sacerdotium Christi cum ministris ipsius participatum. Ut S. Cyrillus Ierosolymitanus monet, nomen *ecclesiae* primum occurrit quo loco ministerium sacerdotale Aaron tributum est. Sacerdotium et Ecclesia eodem temporis puncto oriuntur nec alterum ab altera separari potest. In Canone Romano dicimus: ‘hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias’. Servata differentia functionum quae proprie Corpori inhaerent, in Missa sacerdos munere fungit *Christi capitis*, fideles vero exercent munus *membrorum Christi*. Sacerdos agit *in persona Christi*, quod ita intellegendum est, ut agat iam non ipse, agat vero in eo Christus (cf *Gal. 2,20*).

49. Eucharistiae efficacia pertinet ad integram ministri actionem, quia munus sacerdotale non solum sanctificationem, sed etiam munus includit regendi et docendi. Quae veritas est de ministerio episcopi, cum Eucharistiam celebrat. Praeterea apud eum ostenditur *in plenitudine* Ecclesia ut sacramentum unitatis “vividiore luce”. Eadem haec veritas fundamentum struit ministerio presbyterali, “cum celebrat ... Eucharistiam cum dignitate et humilitate”; sed ipsa exemplum quoque est munerum diaconorum, ministrorum, praesertim acolythorum, ministri Eucharistiae extraordinarii, fidelium omnium, qui debent seipsos offerre, profundo religionis sensu et caritatis erga fratres.

De decoro in Eucharistia celebranda

50. Mystagogia praesupponit decorum in celebrando. Liturgia romana, quamquam ita est sobria, praecipit ut “aedes sacrae insuper et res ad cultum divinum pertinentes vere sint dignae, pulchrae, atque rerum supernarum signa et symbola”. Nam mysterium in luce collocatur “etiam sensu et exhibitione summae reverentiae et adorationis, quae in liturgia eucharistica fieri contingit”. Ideo Ioannes Paulus II in allocutione de decoro in Eucharistia celebranda, admonuit in obsequium erga regulas liturgicas inque eius manifestationes exteriores. *Ordo*, quae vox latina in ritibus liturgicis adhibetur, a praecepto oritur apostoli Pauli (cf. *1 Cor. 14, 40*), qui in adunatione liturgica omnia digne et secundum ordinem hierarchicum fieri vult. In primis, iuxta profundum liturgiae spiritum “veste peculiari indui ad actionem sacram efficiendam signum est exitus a consuetis dimensionibus vitae quotidianae factus ad ingrediendum in praesentiam Dei in divinis Mysteriis celebrandis. Huic eidemque respondent usui etiam normae de tota sacra suppellectile. Quae omnia mysterii sensum exprimunt. Sanctus Franciscus de Asisio a fratribus postulabat, ut calices, pyxides, lina ad Eucharistiam celebrandam pretiosa essent utque summo obsequio et veneratione tractarentur.

De dignitate cantus et musicae sacrae

51. Cantus et musica esse debent digni mysterio quod celebratur, ut psalmi testantur, hymni et cantici spirituales S. Scripturae (cf. *Col 3, 16*). Proinde inde a primis saeculis, Ecclesia musicam sacram partem liturgiae integram reputavit. Etsi diversas musicae formas accipit, Magisterium Ecclesiae constanter opportunum esse confirmavit ut “diversa hae musicae formae concordantes sint cum spiritu sacrae liturgiae”, ut periculum vitetur, ne mysterii cultus elementis profanis minimeque aptis contaminetur.

De mysterio per artem conveniendum

52. In Incarnatione Verbi non modo congressio fit Dei et hominis, qui saluti praestolatur, sed visibiliter apparet hominibus imago Dei (cf. *Io 14, 9*). Vicissim, beneficio mysterii paschalis Christi homo motu convolvitur ascensionali in Deum versus; qui motus necessario per crucem transit, et inde per res humanas (cf. *Col 1, 15-20*). Celebratio horum

mysteriorum altam obtinet analogiam cum “nobilissimis ingenii humani exercitationibus, in quibus, optimo iure, artes liberales adnumerantur ac praesertim ars religiosa. Quae quidem, haud secus ac liturgia, spiritum conducit ad contemplationem per sensuum experientiam, ideoque potissimum est apta ad hominum mentes pie in Deum convertendas.

Qua re nullo pacto deesse poterant in vita Ecclesiae fidei expressiones, quae per splendidum artis patrimonium se manifestarent. Propterea “Architectura et sculptura, pictura et musica, quae mysterio christiano se dirigi siverunt, in Eucharistia recta vel obliqua via invenerunt magni afflatus causam”. Itaque ad decorum sacri spatii ad Eucharistiam celebrandam praeordinati monumenta architecturae insignia exstructa sunt; propter sanctitatem altaris in regionibus occidentis et iconostaseos in partibus orientis opera atque artificia confecta sunt mirabilia; ob dignitatem vero servitii liturgici sacra supellex apparatus est pretiosa.

De in orando spectandi ordine

53. Cosmica notio salutis, quae veniens “visitavit nos, oriens ex alto” (*Lc 1,78*), traditionem afflavit apostolicam, quae quidem praecipit, ut sacra aedificia et altare ad orientem spectent, ut Eucharistia in Dominum versus celebretur, quo modo adhuc apud fideles ritus orientalis fit. “Hoc in casu non, ut saepe iteratum audimus, de eo agitur, ut celebrationi praesideamus terga populo dantes, sed ut populum ducamus in peregrinatione ad Regnum, quod in oratione invocamus donec Dominus veniat”.

In ritu romano, quod alibi ambon, alibi altare collocata sint, sua sponte ita concitat mutationem visualem, ut attentio quoque se convertat in diversas actiones liturgicas, quae ibi efficiuntur. Etiam in cultu eucharistico extra Missam fideles iam inde ab ingressu in Ecclesiam, oculos convertunt in tabernaculum, quo Sanctissimum Sacramentum custoditur.

De presbyterii sive sanctuarii area potissimum sacra

54. Traditio Novi Testamenti, continuata liturgia templi Iudaeorum, *sanctuarium*, sive locum Dei sanctum (cf. *Gen 28, 17; Ex 3, 5*), ubi ministri divina mysteria colunt, separari voluit ab eo loco, ubi fideles, catechumeni, poenitentes consistunt. Illud est spatium sacrum cultui divino assignatum, quod et in ecclesiis orientalibus et in ritu latino distinguatur oportet in templo.

Altare, mensa Domini

55. In Eucharistia super altari celebrata manifesta fit imago illa a Scripturis et a Patribus tradita caeli in terras descendens.

Non est necesse, ut altare magnum sit, sed forma oportet sit comparatione proportioneve apta spatio presbyterali. Sacerdos ascendit ad altare ut ritus offertorii celebret, dum in concelebratione sacerdotes circa illud hora anaphorae se disponunt. Specialis hortatio ut quavis in ecclesia altare fixum habeatur venerationem significat quae ipsi debetur, quippe quod signum sit Iesu Christi, lapidis vivi (*1 Pt 2,4*). Propter id ipsum ornatur saltem et obtegatur digno lintheo, attentionis venerationisque significandae causa.

56. Altare symbolum est Christi, Calvariae, Sepulcri unde Dominus resurgit gloriosus, mensa est, qua super Agnus Dei conficitur; communio vero fidelium extra sanctuarium distribuitur. Ideo altare venerationem habet, incenso suffitur aequae ac liber Evangeliorum super ipso depositus. En quod legimus in Catechismo: “*Altare*, circa quod Ecclesia in Eucharistiae celebratione congregatur, duas eiusdem mysterii repraesentat rationes: altare sacrificii et mensam Domini, et quidem eo magis quod christianum altare symbolum est Ipsius Christi, praesentis in medio congregationis fidelium Eius, simul sicut victimae pro nostra reconciliatione oblatae et sicut cibi caelestis qui nobis Se dat. ‘Quid est enim altare Christi nisi forma corporis Christi?’ inquit sanctus Ambrosius, et alibi: ‘Forma corporis altare est et corpus Christi est in altari’”.

Tabernaculum praesentiae

57. Adoratio se non contraponit communioni neque iuxta eam consistit; communio tunc hominis attingit profunditatem, cum adoratione sustentatur. Nulla est conflictio signorum inter tabernaculum et altare celebrationis eucharisticae. Eucharistiae praesens adest, neque vero temporis ordine definitur neque hora Missae circumscribitur. Mysterium est quod manet in aevum, usque ad adventum Domini in gloria.

Fideles orientales, qui quidem eucharistica adoratione carent, saepe tamen super altari, ubi librum quoque Evangeliorum collocant, *artophorium* servant, in quo Sacra Dona pro infirmis et absentibus custodiuntur.

58. Propterea comparatio proportioque oportet sit inter altare, tabernaculum et sedem, quod Dominus praeminet ministro Suo. *Sedes* celebrantis, in qua, ut liturgia monet, oportet “omnis species throni vitetur”, nullo pacto laedere debet positionem praecipuam et, ut ita dicamus, centram et tabernaculi et crucis. Quodsi altare maius includit tabernaculum, expedit, sedem non anteponi, nam qui celebrat humilis et esse et videri debet. Si autem altare positum sit medio in presbyterio, sedes vero postposita sit, inveniendae erunt compositiones insignes et ad munus aptae, quae faveant “communicationi inter sacerdotem et populum”. In summa, iuvat de eo monere, quod et in occidente et in oriente, “dispositio locorum, imaginum, vestium liturgicarum, supellectilis non gustui relinquitur singulorum, sed respondere debent intrinsecis exigentiis celebrationum et inter se cohaerentes esse debent”.

Caput VI

Eucharistia: Donum adorandum

Spiritus liturgiae adoratio est

59. S. Cyrillus Ierosolymitanus his hortatur verbis : “tum vero post communionem corporis Christi, accede et ad sanguinis poculum: non extendens manus, sed pronus, et adorationis ac venerationis in modum, dicens *Amen*”. Illud enim affirmari licet, a communione sacramentali adorationem scaturire, quo vocabulo actus significatur profundae et corporis et animae inclinationis. Praecipui adorationis actus, quibus praeterea catholici et orthodoxi coniunguntur, corporis inclinatio (*proskynesis*) et genuum flexio (*gonyklisia*) sunt. Ut status erectus resurrectionem significat, ita prostratio corporis humi procumbentis adorationem significat Eius, qui resurrexit et Vivens est. In Novo Testamento, praesertim in liturgia Apocalypseos, pluries nomen *proskyneseos* occurrit, et liturgia illa caelestis Ecclesiae proponitur in exemplum et criterium liturgiae terrestres. Gestibus adorationis, quos liturgia observari vult, et maiestatem dominicam agnoscimus et hominem Dei esse.

Genuum flexio et status erectus habitus sunt unius eiusdemque adorationis, qui servandi sunt dum preces eucharisticas et communionem facimus. Praeterea, devota adoratio memoriam renovat mysterii praesentis et illud commonefacit, non esse Missam tantummodo convivium fraternum. Hoc necesse est, spiritum corroborari liturgiae christianae, quae communio cum Christo est, Dei adoratio et oblatio omnium rerum, historiae, universi mundi, sui ipsius, Ipsi collata.

Communio et adoratio separari nequeunt

60. Communicare inire est communionem Domini et sanctorum Ecclesiae terrestres et caelestis. Proinde communio et contemplatio invicem se implicant. Communionis sacramentum sumere non possumus, quin ratione sumamus *personali* : “Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cenabo cum illo, et ipse mecum” (*Ap* 3, 20). Quae omnium profundissima est veritas de eucharistica pietate.

Ut Ecclesia catholica sentit, adorationis habitus non soli celebrationi eucharisticae circumscribitur, sed etiam ad Eucharistiae cultum pertinet extra Missam, quippe qui sit “inaestimabilis cuiusdam pretii” est praeordinatus ad “communionem, sacramentalem ac spiritalem” fidelium. Ad ritus communionis liturgiae byzantinae hymnus canitur “Lumen vidimus”, non enim si quis Eucharistiam contemplatur praesumptio est, sed si eam in cibum sine discretione assumit, abusus est (cf *1 Cor* 11,28). Apud Ecclesiam latinam omnia custodienda et firmanda sunt, quae a fide II millennii sunt tradita.

Adoratio eucharistica, quae principium habet in communione, eucharisticae pietatis actibus provehitur, cum Deus Pater adoretur in *Spiritu* et in *Veritate*, in Christo, qui e mortuis resurrexit et vivit, quique in nobis vere praesens adest.

Sensus mysterii et habitus, quibus exprimitur

61. Res sacrae Spiritum Sanctum significant. Apud S. Basilium Magnum legimus : “omnia quae sacrum habent, ab Eo acceperunt”. Quamquam, quo tempore rei sacrae notionem extenuari et conculcari videmus, subiit cogitatio, fines, quibus sacrum et profanum separarentur, infractos esse, tamen nec Deus e mundo hominum se recipit eum saeculo suo tradens. Quamdiu mundus transformatus non erit necdum Deus “omnia in omnibus” (1 Cor 15,28) est, tamdiu sacri profanisque distinctio vigeat servata.

Eucharistiae nota mystica percipitur etiam in precibus, quibus se sacerdos ad Missam atque ad Communionem praeparat necnon in gratiarum actione; praeterea in silentio percipitur, in gestibus purificationis, in oblatione incensi, in genuum flexionibus, in capitis corporisque inclinationibus. Unde participatio intima potissimum fit. Participes efficimur actionis cuiusdam, quae, quamvis inter homines fiat, nostra propria non est, nam Ipse, qui Verbum est, dein caro factus est; actio vere liturgica actio Dei est ipsius. Quae liturgiae christianorum et novitas est et peculiaritas: nam Deus ipse agit idemque, quod est essenziale, id conficit. Quodsi minus nobis conscius simus, participes nos fieri, habitus in liturgia assumendi non nisi externi manent et adventicii.

Eucharistia sacramentum pietatis

62. Liturgia est *festum* pro Christo, qui e mortuis resurrexit. Hac re sensum festi contineri ac praesertim diei *dominicae* christianus ducit. Expressiones vero pietatis populi Dei, in quibus eminent cultus eucharisticus extra Missam, originario quodam nexu cum liturgia eucharistica coniungitur; qui nexus attente discerni debet.

In liturgia ratione peculiari *inculturatio* fidei exercetur. Quae quodammodo ipsa in Incarnatione primum effecta est, cum Verbum hominis naturam sumpsit et hominum se sermone expressit et tempore, loco, cultura illa peculiari, ubi Iesus vixit. Hoc ex eventu, ut Concilium Vaticanum II illustravit, habitus scaturit Evangelium et liturgiam et doctrinam christianam in culturas cuiusvis gentis et regionis producendi, ut ii, quibus nuntius est perferendus, efficaciter pertingi possint, pauperes praesertim hominesque simplices corde.

63. Distinguitur a liturgia *pietas popularis*, quae fidei unitate spatia coniungit ampla et culturas complectitur diversas, sed censi potest manifestatio sua sponte a liturgia orta. Nam a circuitu liturgiae formae sunt ortae adorationis et veteres et recentiores, ut sunt benedictio Sanctissimi Sacramenti, processio eucharistica, Hora sancta, supplicatio quadraginta horarum, adoratio perpetua, Congressus eucharistici.

Et liturgia et pietas popularis fidei sunt expressiones vitaeque populi christiani. Dum curamus ut inculturatio christianismi in culturis non christianis fiat, minus sunt tamen neglegendae, verum etiam colendae sunt culturae et traditiones religiosae populares, quae ipso in christianismo floruerunt. Nam idem Spiritus Sanctus et liturgiam suscitavit et, in fide, pietatem popularem.

64. In cultu Eucharistiae extra Missam praebito, elementa percipiuntur spiritualitatis cuiusdam eucharisticae, quae “ad communionem sacramentalem ac spiritalem continuatur...Thesaurus inaestimabilis est Eucharistia, non solum cum celebratur, sed etiam cum ante eam extra Missam sistitur: hoc permittit ut suo de fonte gratia hauriatur”. Contemplatio et adoratio desiderium acuunt creaturae, ut tota simul cum Domino coniungatur et Creatore suo, atque eodem tempore conscientiam reserant indignitatis nostrae. Proinde S. Pater commonet de usu ‘communionis spiritualis’, quam magistri vitae spiritualis commendant iis omnibus, qui sacramentaliter communicare nequeunt.

Proinde etiam extra S. Missam Dominus Iesus vivus est cibus spiritualis. Quod arcanum est cum nobis Dei mysterium, qui nos comitatur, dum iter percurrimus nostrum.

Caput VII

Eucharistia : Donum pro missione

Sanctificatio et divinizatio hominis

65. *Personalem* Eucharistiae significationem illustrat, fas est dictu, S. Cyrillus Ierosolymitanus, quandoquidem, ut ille monet, Sacramenti beneficio Corporis et Sanguinis Christi homo fit “concorporeus (*syssomos*) et consanguineus (*synaimos*) Eius”. Chrysostomus autem sibi a Christo haec dici audit: “in terram descendi, non solum tecum misceor,

sed etiam te amplector: comedor, in frustra concidor, ut multa sit commixtio et unio. Quae enim uniuntur, in suis terminis stant, ego autem tecum contexo. Nolo ut deinceps quid medium intercedat ; utraque unum esse cupio”. Propterea corpus hominis fidelis quodam modo domicilium fit Dei Trinitatis : “Christum eiusque Patrem atque Paracletum habet inhabitantem”. Itaque, in Divina Liturgia byzantina concinunt : “Vidimus lumen verum, accepimus Spiritum caelestem, invenimus fidem veram, indivisibilem Triadem adorantes : nam ipsa salvos fecit nos”.

Habet igitur communio efficaciam ontologicam, cum consociatio sit cum vita Christi, unde vita hominis transformatur. Per eam quasi quoddam mancipium oritur et nexus vitalis, quibus filialis adoptio baptismi perficitur et completur.

66. Alia quadam ratione, gratia sacramentalis eucharistica *antidotum* est quo et liberamur et defendimur a peccato. Eucharistia corroborat vitam christiani supernaturalem eandemque munit contra amissionem virtutum theologalium. Sacramentum est vivorum, videlicet eorum, qui gaudent coniunctione cum Christo et Ecclesia. Nam peccatum mortale concitat separationem a Deo et ab Ecclesia et impedit quominus homo ad Eucharistiam accedat. Eucharistia igitur antidotum est, efficax medela ad vulnera sananda a peccato illata, ope misericordiae divinae, quam ipsa significat et patrat: “Disce Domini benignitatem, quod ne modicum quidem distulerit, sed mox, ut vidit quod factum erat, et ulceris magnitudinem, ad opitulandum festinaverit, ne ulcus grassando fieret incurabile vulnus...pro sua bonitate neque ad parvum tempus a cura sua destitutum illum relinquit”.

Eucharistia ergo donum est, quod nos ratione personali interrogat; quae nota *personalis* sacramenti in actione pastoralis confirmanda est .

Eucharistia vinculum caritatis

67. Princeps effectus et verus Eucharistiae est “ Forma est panis et vini, veritas est carnis et sanguinis, virtus unitatis et caritatis”, ut legimus in epistula quadam a papa Innocentio III data. S. Thomas hanc veritatem confirmat, cum dicat effectum immediatum esse *corpus* Christi *verum*, immolatum et vivum, in sacramento praesens. Quae praesentia substantialis pro iis, qui eius sunt participes in loco et tempore peculiaribus, actualis est, cum in eis operetur transformatio illa, quae pignus est caelestis convivii. Ut a Concilio Vaticano II monemur “in quavis altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio, exhibetur symbolum illius caritatis et unitatis Corporis mystici, sine qua non potest esse salus”.

Unitas *cum* Christo, qui caput est mystici corporis, Ecclesiae, fructus est Eucharistiae princeps, quae ita exprimit significationem suam.

Quod Christi mancipio et nexu proprii sumus et membra existimus corporis Ecclesiae, effectus est immediatus et specificus baptismi (cf. *Rm*, 6,1-11), qui tamen per Eucharistiam perfectionem consequitur. Immo propter hoc ipsum, quod per baptismum insertus est in Christi Corpore, Christifidelis Eucharistiae particeps fieri potest. Eucharistia igitur praeponeat communionem ecclesiam in baptismo receptam. In ea fidelis sacerdotium baptismi exercet et crescit in relatione vitali cum Christo (cf. *Io* 6,55-57). Quacum re uno vinculo copulata et conexa est unitas Christifidelium, qui testes sunt caritatis mutuae, quippe qui membra sint eiusdem corporis; quae unitas necessario requiritur, ut credat mundus (cf *Io* 10, 9-17; 15, 1-11; 17, 20-23). In Eucharistia Christus nos ad caritatem hortatur et intra et extra Ecclesiam.

Pharmacum corporis et spiritus

68. Eucharistia, praesertim tempore aegritudinis et in articulo mortis, *viaticum* vocatur ad vitam aeternam. In ea futurae gloriae *pignus* datur, visionis Dei, ut Ipse est. Ita Concilium Tridentinum traditionem repetit Patrum, qui Eucharistiam *pharmacum immortalitatis* vocabant pro homine, quem hortabantur ut eam manducaret usque ad adventum Domini in gloria, cum, iuxta promissum eius (cf. *Io* 6, 54), postremus Eucharistiae effectus perficeretur: carnis videlicet resurrectio.

Eucharistia est convivium “ad mortem vincendam”, quo “comparatur, ut ita dicamus, resurrectionis ‘secretum’” ad vivendum in aeternum. *Vita aeterna* nec diuturnitas est nec mera temporis perpetuitas, sed alia est condicio existentiae. Apud S. Ioannem *bíos*, quae vita est huius mundi fluxa, aliud est, quam *zoé*, quae vere vita est in nos ingrediens cum Dominum convenimus. Qui sensus est promissionis eius: “Qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me habet vitam aeternam...transiit a morte in vitam” (*Io* 5, 24s), “Ego *sum* resurrectio et vita : qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet : et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum” (*Io* 11, 25). Hac inducti Eucharistiae significatione *eschatologica*, resurrectionem ultimam exspectamus, cum Deus omnia in omnibus erit (cf. *1 Cor* 15, 28).

69. Christianorum fides non solam animae immortalitatem, sed etiam carnis pollicetur resurrectionem, integri videlicet hominis. Gratia Eucharistiae transformans omnia complexu suo continet, quae ad rem *anthropologicam* pertinent et vim habet ad aspectus existenciales cuiusvis hominis, ut sunt libertas, sensus vitae, doloris, mortis. Nisi his quaestionibus responderet fundamentalibus, haudquaquam facile quis posset, se huic sacramento, ut operi salutis et hominis in Christo transformationis, committere.

Significatio *socialis* Eucharistiae

70. Christiani qui Eucharistia aluntur, animam alunt suam iidemque anima fiunt, qua mundus sustinetur et ita sensum christianum, qui sensus est sacramentalis, vitae donant. A sacramento caritatis donum et solidaritatis scaturit, quoniam sacramentum altaris a mandato novo, ut invicem diligamus, separari non potest.

Eucharistia vis est, qua transformamur et in virtute confirmamur. Ipsa “moveret peregrinationem nostram historicam atque semen spei vivacis serit in cotidiana singulorum devotione erga propria officia” in familia, in opere navando, in occupationibus rei publicae. Hac nota *sociali* Eucharistiae propria, missio unius cuiusque hominis in Ecclesia corroboratur et in fiducia firmatur.

71. Iam inde a saeculo II ineunte S. Ignatius Antiochenus christiani nomine eos appellat, qui “secundum dominicam vivunt”, in fide constituti de Domini resurrectione eiusdemque praesentia in celebranda Eucharistia. S. Iustinus autem illud maxime illustrat, sollicitudine rei moralis conclusionem Eucharistiae dominicalis urgeri: “Qui abundant et volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur, et quod colligitur apud eum, qui praees, deponitur, ac ipse subvenit pupillis et viduis, et iis, qui vel ob morbum, vel alima ob causam egent, tum etiam iis, qui in vinculis sunt et advenientibus peregre hospitibus: uno verbo omnium indigentium curam suscipit”.

In Eucharistia fundamentum et perfectionem adipiscitur *missio ad gentes*. Ab Eucharistia debitum oritur omnis hominis christiani cooperandi ad dilatandum Corpus Ecclesiae. Nam actio missionaria “per verbum praedicationis, celebratione sacramentorum, cuius centrum et culmen Eucharistia est, praesentem efficit Christum illum, qui salutis est auctor”. Mandatum missionarium, quod saepe *martyrium* secum tulit, quod usque ad nostram memoriam et pastores et Christifideles ipsa in Eucharistia celebranda subierunt, illud expetit, ut salus, in sacramento panis et vini donata, ad hominum multitudinem perveniat.

Sancta igitur communio suos omnes offert *fructus* : nos artius cum Christo copulat, nos a peccato separat, ecclesialem communionem solidat, nos obligat pauperibus, gratiam auget, aeternae vitae pignus donat.

CONCLUSIO

72. Dominus Iesus Eucharistiam instituit, ut sacramentum esset communionis et revelationis Patris. Cui rationi Beata Virgo Maria princeps adhaesit : “Quodam nempe modo Maria suam *fidem eucharisticam* significavit antequam Eucharistia institueretur, eo quod *suum virginalem uterum Dei Verbi incarnationi commodavit*...Itaque *arta* intercedit *similitudo* inter illud *fiat* quod Maria Angelo nuntianti dixit, et illud *amen* quod quisque fidelis Domini corpus suscipiens enuntiat. Maria rogata est ut eum crederet, quem Ipsa concepisset Spiritus Sancti virtute, esse « Dei Filium » (cf *Lc* 1,30-35). Virginis fidei in continuatione, in Eucharistico Mysterio nos rogamur ut eundem Iesum, Filium Dei et Mariae Filium, sua cum tota humana ac divina existentia credamus sub specie panis vique adesse”.

Primo a Paschate cum Dominus Iesus cum discipulis novum ultimumque exitum a servitute peccati fecit, iam nullus est sanguis agni, sed panis et vinum adsunt, et omnibus distribuuntur, corpus et sanguis Veri Agni Dei. Ita Novum completur Testamentum.

Ut Catechismus Ecclesiae Catholicae, S. Irenaei verbis usus, commonet: “Eucharistia est nostrae fidei compendium et summa: «Nostra autem consonans est sententia Eucharistiae, et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram»”.

73. In sacramento praesentiae substantialis, fides vim reperit et impulsionem, ut re vera *lex orandi* in eodem vinculo maneat, quo *lex credendi* continetur atque *lex agendi* fiat vitae et missionis Ecclesiae. Exinde Eucharistia *dynamismum* quoque *personalem* habet : donum est celebrandum, quo in altiore mysterii cognitionem salutis immergimur, ad communionem adducimur, ad adorationem inducimur, donum demum quod vitam per missionem et ministerium pastorale agitat et impulsus ad caritatem intra et extra Ecclesiam dat.

Eucharistia sua ipsius natura, uno vinculo, quod rescindi nequit, copulatur cum notis Ecclesiae peculiaribus, quibus una, sancta, apostolica, catholica est, ut in Symbolo fidei profiteamur. Ita vita et missio communitatum christianarum in mundo indolem servant Ecclesiae propriam, quamdiu eius integrum donorum thesaurum custodiunt et promovent. Argumentum Synodi illud demonstrat, quod Ecclesia de Eucharistia vivit ita, quod ab ea, ut a fonte quodam, vitam accipit divinam, quae ab alto venit et in missione sua ad Eucharistiam tendit ut ad culmen sui mysterii communionis: “Sic enim collocatur Eucharistia veluti *fons* eodemque tempore *culmen* universae evangelizationis, quoniam finis eius est hominum communio cum Christo in Eoque cum Patre et Spiritu Sancto”.

QUAESTIONES

1. *Eucharistia in vita Ecclesiae:* Quod momentum tribuitur adorationi eucharisticae in vita vestrarum communitatum et fidelium? Quam frequens esse videtur participatio ad S. Missam die dominica? Diebus vero ferialibus? Magnis autem festis anni liturgici? Suntne de hac re rationes statisticae, approximato saltem more?

2. *Doctrina eucharistica et formatio animi:* Qui nixus efficiuntur ut vestris communitatibus et singulis fidelibus doctrina integra et plena de Eucharistia tradatur? Praecipua ratiōne, qui usus fit Catechismi Ecclesiae Catholicae, nn. 1322-1419, et Encyclicae “*Ecclesia de Eucharistia*”, praesertim a sacerdotibus, diaconis, personis consecratis, laicis in pastoralis occupatis? Quomodo spondetur formatio fidei in Eucharistiam: in catechesi initiationis? in homiliis? in consiliis formationis permanentis sacerdotum, diaconorum permanentium, seminaristarum? personarum consecratarum? Christifidelium?

3. *Perceptio eucharistici mysterii:* Quid potissimum Eucharistiam esse censent sacerdotes et fideles vestris in communitatibus? Censentne eam esse: sacrificium? memoriale mysterii paschalis? praeceptum dominicale? convivium fraternum? actum adorationis? alia...? Videturne in praxi unus aliquis ex his aspectibus praevalere? Quae causae esse putantur huius praelationis?

4. *Fusca in celebratione Eucharistiae:* in Encyclica c.t. *Ecclesia de Eucharistia* (n 10) Summus Pontifex commemorat “fusca” in celebratione eucharistica. Qui aspectus negativi (abusus, aequivocationes) deprehendi possunt in cultu eucharistico? Quae elementa quique gestus in praxi effecti obscurare possunt sensum profundissimum Mysterii eucharistici? Quae causae esse possunt, quae ad hunc statum conducant, unde fideles turbentur?

5. *Celebratio eucharistica et normae liturgicae:* deprehenduntur in more quo sacerdotes celebrant, modi aliqui normis liturgicis ab Ecclesia catholica stabilitis (Cf *Institutio Generalis Missalis Romani*, cap. IV; *Instructiones pro Applicatione Praescriptionum Liturgicarum Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium*) explicite aut implicite contradicentes ob desiderium personalismi et protagonismi? Quae putantur esse causae huius modi se gerendi? Quae elementa quique gestus effecti inter Missae celebrationem vel etiam in cultu eucharistico extra Missam, iuxta proprias normas et dispositiones, peculiariter curari debent, ut sensus profundissimus magni Mysterii fidei in dono Eucharistiae absconditi in lucem ponatur?

6. *Sacramenta Eucharistiae et Reconciliationis:* Conversio princeps est condicio plene participationis ad Communionem eucharisticam. Quomodo percipiunt fideles relationem inter sacramentum reconciliationis et Eucharistiae? Celebratio S. Missae festum quoque est salutis a peccato et a morte. Quomodo respondetur huic peccatorum conversioni, praesertim die Dominica, ut fideles intra tempus opportunum ad sacramentum Paenitentiae accedere possint ut ad Eucharistiam participant? In vita communitatum christianarum fit aut adfluxus fidelium indiscriminatim ad Communionem participantium aut abstinentia sine causa ab Eucharistia? Quid efficitur ad adiutorium fidelibus praestandum ut discernant se ipsos utrum in debitis versentur condicionibus ut ad hoc magnum accedant Sacramentum?

7. *Sensus sacri in Eucharistia:* Eucharistia mysterium est praesentiae verae Dei in nobis, sed eodem tempore mysterium ineffabile est. Quomodo exprimi debet sensus sacri quoad Eucharistiam? Sacerdotes et fideles quomodo eum manifestant in cottidiana S. Missae celebratione, magnis festis et temporibus liturgicis per annum? Suntne habitus vel consuetudines culturales quibus hic sacri sensus obscuretur?

8. *Sancta Missa et celebratio Verbi:* Quod attinet ad celebrationes Liturgiae Verbi cum Eucharistiae distributione saepe praesidente laico vel ministro extraordinario, in paroeciis adhuc sacerdotem exspectantibus: quam late fit hoc in paroeciis vestris? Qua specifica formatione donantur responsables? Valentne fideles intellegere quid differat inter

huiusmodi celebrationes et Sanctam Missam? Cognoscuntne apte distinctionem essentialem inter ministerium ordinatum et ministerium non ordinatum?

9. *Eucharistia et cetera sacramenta:* Quae mensura et quae criteria tenentur in ceteris sacramentis inter Sanctam Missam celebratis? Ubi sacramenta et sacramentalia celebrentur inter S. Missam (matrimonia, exsequiae, baptismata, etc.) praesentibus fidelibus non assiduis, acatholicis, hominibus non credentibus, quae praecautiones adhibentur ne quis et gravitate et debita praeparatione privus ad Eucharistiam accedat?

10. *Praesentia realis Christi in Eucharistia:* Fideles vestris in paroeciis praeservaverunt fidem in praesentiam realem Domini in Sacramento Eucharistiae? Percipiuntne lucide donum Praesentiae realis Domini? Fiuntne in liturgiae S. Missae vel in cultu eucharistico phaenomena quae periculum habent, ne minorem considerationem inducant Praesentiae Realis? Si talia phaenomena fiunt, quae causae esse possunt?

11. *Eucharistica devotio:* Cultus SS. Sacramenti occupatne debitum locum in vita paroeciae et communitatum? Quod momentum tribuitur a pastoribus Adorationi SS.mi Sacramenti? Adorationi perpetuae? Benedictioni SS.mi Sacramenti? Orationi personali ante Tabernaculum? Processioni in festo Corporis Domini? Devotioni eucharisticae in missionibus popularibus?

12. *S. Missa et vita liturgico-devotionalis:* Valentne fideles percipere quid intersit inter S. Missam et ceteras devotiones ut sunt Liturgia Horarum, celebratio sacramentorum et sacramentalium extra Missam, Liturgia Verbi, processiones, etc.? Quomodo manifestatur differentia substantialis inter celebrationem eucharisticam et ceteras celebrationes liturgicas et paraliturgicas?

13. *Decus in celebratione Eucharistiae:* Vestris in Ecclesiis tribuitur attentio decori celebrationis eucharisticae? Quibus condicionibus artisticis et architechtonicis liturgicae celebrationes fiunt, et sollemnes et de feria? Patetne ab hac accomodatione spatii ambientis convivium eucharisticum esse vere “sacrum” convivium (*Ecclesia de Eucharistia*, 48)? Quam saepe et quibus de causis Eucharistia extra locos cultui praestitutos celebratur?

14. *Eucharistia et inculturatio:* Quantum spatium est concedendum inculturationi in celebratione Sacramenti Eucharistiae ad vitandum importunum quendam creandi pruritum, qui temporum modos imaginosos et insolentes consecratur? Quae criteria in praxi adhibentur huius inculturationis causa? Gaudent debita consideratione in Ecclesia occidentali normae illae propositae ab instructione “*De Liturgia Romana et inculturatione*”? Quomodo agitur de inculturatione in Eucharistia apud Ecclesias orientales?

15. *Nota eschatologica Eucharistiae:* Illustraturne satis nota eschatologica Eucharistiae in catechesi, in formatione permanenti, in homiliis et in celebratione eucharistica? Quomodo exprimitur tensio eschatologica quam Eucharistia in vita pastorali suscitatur? Quomodo manifestatur in celebratione S. Missae “communio Sanctorum”, qua res eschatologica anticipatur?

16. *Eucharistia, oecumenismus, dialogus inter religiones, sectae:* Adversus notiones de Eucharistia quae propriae sunt fratribus occidentalibus separatis, atque adversus provocationes quae a ceteris et religionibus et sectis proveniunt, quomodo praeservatur et offertur Mysterium Sanctissimi Sacramenti sua in integritate, ne fideles in confusiones et errores inducantur, praesertim cum conventus oecumenici et interreligiosi fiunt?

17. *Eucharistia et “intercommunio” ecclesialis:* “Celebratio Eucharistiae esse non potest initium communionis” (*Ecclesia de Eucharistia*, 35). Quomodo applicantur normae de intercommunione, quae dicitur, (cf CIC 844)? Christifideles cognoscuntne normam illam, ex qua fidelis catholicus Eucharistiam in communitatibus sacramento Ordinis carentibus accipere non potest (cf. *Ecclesia de Eucharistia* 46)?

18. *Eucharistia et vita moralis:* Eucharistia vitam moralem christiani auget. Quid sentiunt fideles de necessitate gratiae sacramentalis ad vitam secundum Spiritum degendam ut sancti fiamus? Quid sentiunt fideles de relatione inter receptionem sacramenti Eucharistiae et ceteros christianae vitae aspectus, ut sunt: personalis sanctificatio, studium mores in vita servandi, caritas fraterna, aedificatio societatis terrena, etc.?

19. *Eucharistia et missio:* Eucharistia donum quoque pro missione est. Habentne fideles conscientiam eius, quod Sacramentum Eucharistiae ad missionem inducit, quam ipsi in mundo, suo quisque ex vitae statu, perficere debent?

20. *Rursus de Eucharistia:* Qui alii aspectus, praecedentibus quaestionibus minus inclusi, praeterea sunt considerandi quod ad Sacramentum Eucharistiae attinet, ad *Instrumentum Laboris* pro discussione synodali praeparandum?

S. Leonis Magni, *Sermo 2 de Ascensione*, 61 (74), 2: *SCh* 74bis, 278.

Origenis, *In epistulam ad Romanos*, 4, 2: *PG* 14, 968B.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 14 e 48; II Coetus Extraordinarii Generalis Synodi Episcoporum (1985), *Relationem finalem*, II.B.b.1.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 13; Conc. Oecum. Tridentin., sess. XXII, cap. 6.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 10.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 60: *AAS* 95 (2003), 473.

Cf. ibidem, 35: *AAS* 95 (2003), 457.

Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 47.

Ibidem.

Catechismus Catholicae Ecclesiae, 1322-1419.

Codex Iuris Canonici, c. 897-958.

Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium, c. 698-717.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 9: *AAS* 95 (2003), 438-439.

De Mysteriis, 47: *SCh* 25bis, 182.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Redemptor hominis* (4.III.1979), IV, 20: *AAS* 71 (1979), 309-316.

Cf. *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1356-1381.

In S. Matthaem, 82, 5: *PG* 58, 744.

N. Cabasilae, *Expositio divinae liturgiae*, 32, 10: *SCh* 4bis, 204.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 2; Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 3, 28; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, 2,4,5.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 12: *AAS* 95 (2003), 441.

Hac dictione, pulcherrima et significatione plena, Orientales indicant ‘ultimam Cenam’, vel ‘Cenam dominicam’; nomen adiectivum ‘ultima’ etiam ad desiderium referri debet, quo Christus desideravit postremum Pascha ritu Iudaeorum ante mortem manducare, ut ei significationem conferret ‘novam et aeternam’ ut mystici foederis. Ita quasi ‘clavis hermeneutica’ Eucharistiae haberi potest, a mysterio paschali minime disiuncta, quo non tantum mortem et resurrectionem, sed etiam incarnationem comprehendimus.

Cf. S. Ioannis Chrysostomi, *In S. Matthaem*, 82, 1: *PG* 58, 737-738.

Cf. N. Cabasilae, *De vita in Christo*, I, 1: *SCh* 355, 74.

S. Ioannis Chrysostomi, *In epistula I ad Corinthios*, 24, 5: PG 61, 205.

S. Gregorii Nisseni, *Homilia in Ecclesiastem*, III: PG 44, 469.

S. Maximi Confessoris, *Mystagogia*, 1: PG 91, 664.

Homilia in Oziam, 6, 4 : PG 56, 140.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 15: AAS 95 (2003), 442-443.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 7, 47; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, 5,18; *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 3.

Cf., e.g., S. Cyrilli Ierosolomitani, *Catechesin mystagogicam*, IV, 2, 1-3; IV, 7,5-6; V, 22, 5: *SCh* 126bis, 136. 154. 172.

Pauli VI, Litt. encycl. *Mysterium fidei* (3.IX.1965), 26: AAS 57 (1965), 766.

Cf. *Catechismum Catholicae Ecclesiae*, 1328-1332.

Cf. VIII: *SCh* 11, 79.

Cf. *Ad Ephesios*, 13, 1; *Ad Philadelphienses*, 4; *Ad Smyrnenses*, 7, 1: *Patres Apostolici*, F.X. Funk ed., Tübingen 1992, p. 186; 220; 230.

Cf. *Didachen* 9-10. 14: J.P. Audet ed., Parisiis 1958, 235-236; 240.

Cf. *I Apologiam* 67, 1-6; 66, 1-4: *Corpus Apologetarum Christianorum Secundi Saeculi*, vol. I, pars 1, Wiesbaden 1969, p. 180-182; 184-188.

Cf. *Adversus Haereses*, 4. 17, 5; 18, 5: *SCh* 100, 592. 610.

Cf. *Epistulam* 63, 13: *PL* 4, 383-384.

Cf. *Catechesin magnam* 37: *SCh* 453, 315-325.

Cf. *Catechesin mystagogicam*, 4, 3: *SCh* 126bis, 136.

De Sacerdotio, III, 4: *SCh* 272, 142-144.

Cf. *Homilias Catecheticas 15 et 16*: R. Tonneau-R.Devresse, ed., *ST* 145, in Civitate Vaticana 1949, 461-605.

Cf. *De Sacramentis*, 4-5; *De Mysteriis*, 8-9 : *SCh* 25bis, 102-137 ; 178-193.

Cf. e.g. *Sermonem* 132: *PL* 38, 743-737.

Cf. *Sermonem* 227, 1: *PL* 38, 1099-1101.

Cf. *De Civitate Dei*, X, 5-6: *PL* 41, 281-284.

Cf. *Summam Theologiae*, III, 73, a.1.

Cf. *ibidem*, 74, a.1; 79, a.1.

Ibidem, 73, a.4.

Cf. *Breviloquium*, VI, 9: *Opera omnia, Opuscoli Teologici / 2*, Romae 1966, 276.

Sermo 229,A (Guelferbytanus 7), Tractatus de Dominica Sanctae Paschae, 1; PLS 2, 555; E.D.G. Morin, Miscellanea Agostiniana, I, Romae 1930, 462.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 23: AAS 95 (2003), 448-449.

Cf. ibidem 59: AAS 95 (2003), 472-473.

Ibidem 40: AAS 95 (2003), 460.

Cf. ibidem, 5: AAS 95 (2003), 436.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 3; Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 21: AAS 95 (2003), 447.

Pauli VI, *Institutio Generalis Missalis Romani* (26.III.1970), 8.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 26: AAS 95 (2003), 451.

Ibidem, 27: AAS 95 (2003), 451.

Ibidem, 28: AAS 95 (2003), 451-452.

Ibidem, 29: AAS 95 (2003), 452-453.

Istruzione per l'Applicazione delle Prescrizioni Liturgiche del Codice dei Canoni delle Chiese Orientali, 32.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 34: AAS 95 (2003), 456.

Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 26.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 35: AAS 95 (2003), 457.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 14.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 38: AAS 95 (2003), 458-459.

Ibidem, 39: AAS 95 (2003), 459-460; cf. Congregationis pro Doctrina Fidei, Litt. *Communione notio* (28.V.1992), 11: AAS 85 (1993), 844.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 35: AAS 95 (2003), 457.

Cf. Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de ss. Eucharistia, sess. XIII, cap. 1, *De reali praesentia D.N.I. Christi in ss. Eucharistiae sacramento*, cap. 2, *De ratione institutionis ss. huius sacramenti: DS 1637-41; Can. 1-5: DS 1651-55.*

Cf. ibidem, Decr. de ss. Eucharistia, sess. XIII, cap. 4, *De Transsubstantiatione: DS 1642.*

Cf. ibidem, Decr. de communione euch., sess. XXI: *DS 1725-1734.*

Cf. ibidem, Decr. de Missa, sess. XXII: *DS 1738-1759.*

Cf. ibidem, Decr. de ss. Eucharistia, sess. XIII, cap. 1, *De reali praesentia D.N.I. Christi in ss. Eucharistiae sacramento: DS 1636-1637*, cap. 2, *De ratione institutionis ss. huius sacramenti: DS 1638.*

Cf. ibidem, Decr. de Eucharistia, sess. XIII, cap. 5 - 8: *DS 1643-1750*; can. 1 - 3: *DS 1751-1753.*

Cf. Pii XII, Litt. encycl. *Mediator Dei* (20XI.1947), II: AAS 39 (1947), 547-552.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 28.

Cf. Innocentii III, *Professionem fidei Waldensibus praescriptam*, DS 794; Conc. Oecum. Lateranens. IV, *Definitionem contra Albigenses et Catharos*: DS 802; Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de Missa, sess. XXII, cap. 1, *De institutione sacrosancti Missae sacrificii*: DS 1740, can. 2: DS 1752.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. Ap. *Dominicae Cena*e (24.II.1980), 8: AAS 72 (1980), 127-130; Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 28-29: AAS 95 (2003), 451-453.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 7; Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, 14.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 3; Decr. de presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, 4-5.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 17; Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 2,15.

Cf. Pauli VI, Litt. encycl. *Mysterium fidei* (3.IX.1965), 17-25: AAS 57 (1965), 762-766.

S. Ignatii Antiocheni, *Ad Smyrnenses* 7, 1 : *Patres Apostolici*, F.X. Funk ed., Tübingen 1992, p. 230.

Cf. Pauli VI, *Sollemnem Professionem fidei* (30.VI.1968), 25: AAS (1968), 442-443.

Pauli VI, Litt. encycl. *Mysterium fidei* (3.IX.1965), 27: AAS 57 (1965), 766.

S. Leonis Magni, *Sermo 2 in Ascensione*, 61 (74), 4: *SCh* 74bis, 280-282.

De Mysteriis, 53: *SCh* 25bis, 186.

Cf. Congregationis pro Doctrina Fidei, Declarationem *Dominus Jesus* (6.VIII.2000), 16: AAS 92 (2000), 756-758.

De Trinitate, 8, 13: *SCh* 448, 396.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 55: AAS 95 (2003), 470.

Ibidem, 10: AAS 95 (2003), 439.

Ibidem, 61: AAS 95 (2003), 473-474.

Ibidem, 12: AAS 95 (2003), 441.

Ibidem, 23: AAS 95 (2003), 448-449.

Ibidem, 11: AAS 95 (2003), 440-441.

Ad Ephesios, 20, 2: *Patres Apostolici*, F.X. Funk ed., Tübingen 1992, p. 190.

In epistulam ad Ephesios, 11, 3: *PG* 62, 83.

Cf. S. Cyrilli Alexandrini, *De adoratione in spiritu et veritate*, 11: *PG* 68, 761D.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 30.44-45: AAS 95 (2003), 453-454, 462-463.

Ibidem, 61: AAS 95 (2003), 473-474.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 15.

Cf. *Codicem Iuris Canonici*, c. 844.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 22.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 46: AAS 95 (2003), 463-464.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 8; Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 19: AAS 95 (2003), 445-446.

Tertulliani, *Contra Marcionem*, IV, 9, 9: *SCh* 456,124.

De divinis nominibus, 4, 7: *PG* 3, 701C.

S. Ioannis Chrysostomi, *In epistulam I ad Corinthios*, 24, 5: *PG* 61, 205s.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 8: AAS 95 (2003), 437-438.

Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de Eucharistia, cap. 3, *De excellentia ss. Eucharistiae super reliqua sacramenta*: *DS* 1639.

Cf. Conc. Florentin., Decr. pro Graecis: *DS* 1303, Decr. pro Armeniis: *DS* 1320, Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de Eucharistia, sess. XIII, cap. 4, *De Transsubstantiatione*: *DS* 1642; etiam *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 319-324.

Cf. Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de Missa, sess. XXII, cap. 7, *De aqua in calice offerendo vino miscenda*: *DS* 1748.

Cf. Conc. Florentin., Decr. pro Armeniis: *DS* 1321; Decr. pro Iacobitis: *DS* 1352; Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de Missa, sess. XXII, cap. 1, *De institutione sacrosancti Missae sacrificii*: *DS* 1740.

Cf. Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de Missa, sess. XXII, cap. 1, *De institutione sacrosancti Missae sacrificii*: *DS* 1740; can. 2: *DS* 1752.

Cf. ibidem, cap. 7, *De praeparatione, quae adhibenda est, ut digne quis s. Eucharistiam percipiat*: *DS* 1646-1647, cap. 8, *De usu admirabilis huius sacramenti*: *DS* 1648-1650, can. 11: *DS* 1661.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000) 19; Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 52: AAS 95 (2003), 467-468.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 199.

Istruzione per l'Applicazione delle Prescrizioni Liturgiche del Codice dei Canonici delle Chiese Orientali, 57.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), cap. II.

Cf. ibidem, 51.

Cf. IX, 3: Audet, 323.

Cf. Ioannis Pauli II, Adhort. Ap. postsynod. *Ecclesia in Europa* (28.VI.2003), 13: AAS 95 (2003), 657-658.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 67.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 56.

Institutio Generalis Missalis Romani (20.IV.2000), 28.

Cf. *ibidem*, 73.

Cf. Theodori Andidensis, *De divinae liturgiae symbolis ac mysteriis*, 18: PG 140, 441C.

De Sacerdotio, VI, 11: SCh 272,340.

Cf. S. Germani Costantinopolitani, *Historiam Ecclesiasticam et mysticam contemplationem*: PG 98, 400C.

VIII, 12, 2: F.X.Funk ed., Paderborn 1905, I, 494.

De incomprehensibilitate Dei, 4, 5: SCh 28bis, 260.

Cf. S. Anastasii Synaitae, *Orationem de sacra Synaxi*: PG 89, 833BC.

Cf. S. Ioannis Chrysostomi, *Homiliam in diem natalem Domini nostri Iesu Christi*, 7: PG 49, 361.

Cf. S. Basilii Magni, *Homiliam in psalmum 115*: PG 30, 113B.

In epistulam II ad Corinthios, 18, 3: PG 61, 527.

Cf. N. Cabasilae, *Commentarium in divinam liturgiam*, 15, 2: SCh 4bis, 125.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 72.

Ibidem, 93; etiam *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1348.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 79 d.

Catechismus Catholicae Ecclesiae, 1353.

Cf. Benedicti XII, Lib. *Cum dudum* (VIII.1341): DS 1017; Pii VII, Brev. *Adorabile Eucharistiae* (8.V.1822): DS 2718; Pii X, Ep. *Ex quo, nono* (26.XII.1910): DS 3556.

De Mysteriis, 52.54: SCh 25bis, 188.

De ecclesiastica hierarchia, 3, 9: PG 3, 464.

Cf. N. Cabasilae, *Commentarium in divinam liturgiam*, 48, 5: SCh 4bis, 271-273.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 79g.

N. Cabasilae, *Commentarium in divinam liturgiam*, 42, 3: SCh 4bis, 241.

Cf. S. Ioannis Chrysostomi, *In epistulam ad Philippenses*, 3,4: PG 62, 204.

Cf. *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1384-1390.

Cf. *Constitutiones Apostolicas*, VIII, 12, 39: F. X. Funk, ed., Paderborn 1905, I, 510, et Anaphoras alexandrinus Marci, Serapionis, Basilii copti.

Cf. Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de Missa, sess. XXII, cap. 6, *De Missa, in qua solus sacerdos communicat*: DS, 1747, can. 8: DS, 1758.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 80.

Ibidem, 81.

Pseudo Chrysostomi, *De proditioe Iudae*, 1, 6 : PG 49, 381.

Cf. ibidem, 381-382.

N. Cabasilae, *Commentarium divinae liturgiae*, 12, 8: *SCh* 4bis, 111.

Constitutiones Apostolicae, II, 20, 10: F.X. Funk ed., Paderborn 1905, I, 77.

S. Basilii Magni, *Homilia in psalmum*, 33, 10: PG 29, 376.

VIII, 11, 9-10: F. X. Funk ed., Paderborn 1905, I, 494.

Cf. S. Maximi Confessoris, *Mystagogiam*, 13: PG 91, 691.

Cf. *Institutionem Generalis Missalis Romani* (20.IV.2000), 82.

In epistulam I ad Corinthios, 24, 2: PG 61, 200.

Cf. S. Germani Costantinopolitani, *Historiam ecclesiasticam et mysticam contemplationem*: PG 98, 449B.

Cf. S. Ioannis Damasceni, *In epistulam ad Zachariam ep. de immaculato corpore*, 5 : PG 95, 409.

N. Cabasilae, *Commentarium divinae liturgiae*, 36, 1: *SCh* 4bis, 223.

Cf. *Catechismum Catholicae Ecclesiae*, 2120.

X, 6: Audet, 236.

Cf. *Institutionem Generalis Missalis Romani* (20.IV.2000), 84.

Cf. ibidem, 282.

Cf. *Istruzione per l'Applicazione delle Prescrizioni Liturgiche del Codice dei Canonici delle Chiese Orientali*, 59.

Thomae a Celano, *Vita Seconda*, 201(789): *Fonti Francescane*, Padova 1980, 713.

De vita in Christo, IV, 26: *SCh* 355, 288.

Cf. *Institutionem Generalis Missalis Romani* (20.IV.2000), 17. 89.

Cf. *Istruzione per l'Applicazione delle Prescrizioni Liturgiche del Codice dei Canonici delle Chiese Orientali*, 30.

Cf. Ioannis Pauli II, Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6.I.2001), 33: *AAS* 93 (2001), 289-290.

Cf. *De Spiritu Sancto*, V, 10 : *SCh* 17bis, 280.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 48.

Cf. *Catechismum Catholicae Ecclesiae*, 1135-1186.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 52: *AAS* 95 (2003), 467-468.

Cf. *Catechesin illuminandorum*, 18, 24: PG 33, 1046.

Institutio Generalis Missalis Romani (20.IV.2000), 92.

Ibidem, 93 ; cf. 84.

Cf. ibidem, 95.

Ibidem, 288.

Ibidem, Prooemium, 3.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 49: AAS 95 (2003), 465-466.

Cf. *Istruzione per l'Applicazione delle Prescrizioni Liturgiche del Codice dei Canonici delle Chiese Orientali*, 34.

Ibidem, 66.

Cf. *Fonti Francescane*, I, *Testamento*, 13: 114; *Lettere* 208, 224.

Ioannis Pauli II, *Discorso ai partecipanti al Convegno Internazionale di Musica Sacra* (25-27.I.2001): AAS 93 (2001), 351; cf. Lett. Ap. *Spiritus et Sponsa* (4.XII.2003), 4: *L'Osservatore Romano* (7.XII.2003), 7.

Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum concilium*, 122.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 49: AAS 95 (2003), 465-466.

Istruzione per l'Applicazione delle Prescrizioni Liturgiche del Codice dei Canonici delle Chiese Orientali, 107.

Institutio Generalis Missalis Romani (20.IV.2000), 295.

Cf. ibidem, 215.

Cf. ibidem, 297.

Cf. ibidem, 304.

Cf. *Istruzione per l'Applicazione delle Prescrizioni Liturgiche del Codice dei Canonici delle Chiese Orientali*, 103.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 296.

Cf. ibidem, 273.

Catechismus Catholicae Ecclesiae, 1383.

Institutio Generalis Missalis Romani (20.IV.2000), 310.

Ibidem.

Istruzione per l'Applicazione delle Prescrizioni Liturgiche del Codice dei Canonici delle Chiese Orientali, 108.

Catechesis mystagogica, 5, 22: *SCh* 126bis, 172.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 25: AAS 95 (2003), 449-450.

Pro cultu eucharistico post Concilium Vaticanum II renovato conferantur: *Eucharisticum Mysterium*, Instructio Congregationis Rituum et *Consilium* Paulo VI approbata et confirmata (d. 25 maii 1967): *EV.*, vol. II, 1084-1153; *Eucharistiae Sacramentum*, quo Congregatio pro Cultu divino revisionem effecit Ritus de Sacra Communionem et de

cultu mysterii eucharistici extra Missam (d. 21 iunii 1973): ibidem, vol. IV, 1624-1659; *Inaestimabile Donum*, Congregationis pro Cultu divino de quibusdam normis circa cultu mysterii eucharistico (d. 3 aprilis 1980): cf. ibidem, vol. VII 282-303.

De Spiritu Sancto, 9, 22: *SCh* 17bis, 324.

Cf. *Institutionem Generalem Missalis Romani* (20.IV.2000), 45.

Cf. ibidem, 76 ; 278-280.

Cf. ibidem, 276-277.

Cf. ibidem, 274-275.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 10: AAS 95 (2003), 439.

Cf. Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, *Direttorio su pietà popolare e liturgia*, ed. Vaticana 2002, n. 160-165.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 25: AAS 95 (2003), 449-450.

Cf. ibidem, 34: AAS 95 (2003), 456.

Catechesis mystagogica, 4, 1: *SCh* 126bis, 134.

In epistulam I ad Timotheum, 15, 4: *PG* 62, 586.

Exhortatio ad Theodorum lapsum, 1: *PG* 47, 278.

Cf. *Summam Theologiae*, III, 79, 1.

Cf. Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de Eucharistia, sess. XIII, cap. 2, *De ratione institutionis ss. huius sacramenti*: DS 1638.

S. Ioannis Chrysostomi, *In Genesin*, 17, 2: *PG* 53, 136.

Innocentii III, Ep. “*Cum Marthae circa*” ad Ioannem quondam archiep. Lugdun. (29.XI.1202): DS 783.

Cf. *Summam Theologiae*, III, 73, 6.

Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 26.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 35: AAS 95 (2003), 457.

Cf. Conc. Oecum. Tridentin., Decr. de Eucharistia, sess. XIII, cap. 2, *De ratione institutionis ss. huius sacramenti*: DS 1638; cap. 8, *De usu admirabilis huius sacramenti*: DS 1649.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 17: AAS 95 (2003), 444-445.

Ibidem, 18: AAS 95 (2003), 445.

Cf. *Ad Diognetum*, V, 5.9.11; VI, 1-2.7: *Patres Apostolici*, F.X. Funk ed., Tübingen 1992, p. 312-314.

Cf. Orationem post Communionem I Dominicae Adventus, *Missale Romanum*, Typis Vaticanis 2002, 121.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 62: AAS 95 (2003), 474-475.

Ibidem, 20: AAS 95 (2003), 446-447.

Ad Magnesios, 9, 1: *Patres Apostolici*, F.X. Funk ed., Tübingen 1992, 196.

Cf. Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 41: AAS 95 (2003), 460-461.

I Apologia, 67, 6: *Corpus Apologetarum Christianorum Secundi Saeculi*, vol. I, pars 1, Wiesbaden 1969, 186-188.

Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de activitate missionali ecclesiae *Ad gentes*, 39.

Cf. ibidem, 36.

Ibidem, 9.

Cf. *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1391-1405.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 55: AAS 95 (2003), 470.

Catechismus Catholicae Ecclesiae, 1327.

Cf. ibidem, partem II, sess. I, cap. II.

Ioannis Pauli II, Litt. encycl. *Ecclesia de Eucharistia* (17.IV.2003), 22: AAS 95 (2003), 448.

Secretaria Generalis Synodi Episcoporum et Libreria Editrice Vaticana.

Textus hic a Conferentiis Episcoporum, vel de earum consensu, denuo edi potest, dummodo eius contentus minime alteretur atque duae eiusdem copiae huic Secretariae Generali Synodi Episcoporum (00120 Città del Vaticano) mittendae curentur.